



COMMEN- TARIUM IN LIBRUM

CATEGORIARVM ARISTOTELIS,
quæ prædicamenta appellari solent, vna
cum disputationibus hac tempestate
exagitari solitis.

PROOEMIUM.



RESOLVIMVS prædicabilia, quæ isagogæ, seu introductionem ad Aristot. categorias, seu prædicamenta Porphyrius appellavit; nunciam ipsarum categoriarum, seu prædicamentorum tractationem aggrediamur. Verùm quia ab interpretibus in principio plura solent disputari, quæ ad ordinem

vniversalem eorum, quæ in hoc libro tractantur, maximè spectant, idèd nos in proœmio isto quinque proponemus. Primum, *Quæ sit inscriptio huius libri?* Secundum, *Quis fuerit Author illius?* Tertium, *Quid sit illius obiectum?* Quis finis? & quæ utilitas? Quartum, *Verum pertineat ad Logicum institutum?* Quintum, & vltimum, *Ordinem, quem seruat inter ceteras partes Logice, atque illius divisionem?*

DE INSCRIPTIONE

huius libri:

CIRCA primum dicendum est, hunc librum inscribi, *Categoriae, sive,* quod idem est, *prædicamenta.* Et quamvis dictio Græca *Categoria* ex prima sua impositione idem significet, quod prædicatum, & sic aliqui affirmant, idem esse, liber categoriarum, ac liber, in quo agitur de decem supremis generibus, seu prædicatis; tamen iam ex communi Dialecticorum consensu, tam *categoria*, quam *prædicamentum* accipitur non

solum pro supremo genere, seu prædicato; sed pro tota serie, & coordinatione prædicatorum essentialium, quæ sub vno supremo genere continentur. Unde iuxta hoc idem significabit, liber categoriarum, seu prædicamentorum, ac liber coordinationum, quibus prædicata essentialia disponuntur, secundum diversos gradus prædicandi, seu essendi, à supremo genere, quod caput totius coordinationis est, usque ad infimas species.

DE AVTHORE.

CIRCA secundum conveniunt omnes, Authorem huius libri fuisse Aristotel. sapientum illum Philosophorum Principem, qui natione fuit Macedo, & patria Stagiritis, & floruit anno 371. ante Redemptoris adventum; vel (ut putat Bellarminus) anno 329. Quod colligunt universi interpre-

tes, tum ex ipso opere; nam eius gravitas, modusque procedendi ipsam Philosophiæ Principem prædicat Authorem. Tum etiam ex ipsius auctoritate; nam in libris de Demonstratione, & Topicorum non raro huius libri, tamquam proprii factus, ac operis à se conscripti, mentionem facit.

DE OBIECTO, FINE, ET utilitate.

CIRCA tertium dicendum est cum Scoto questione secunda prædicamentorum, obiectum huius libri esse categoriam, seu prædicamentum in communi sumptum, prout omnes categorias, seu coordinationes prædicamentales sub se comprehendit. Finem verò congestis omnibus rebus, & per decem prædicamenta dispositis, ostensisque omnium proprietatibus, dare omnium rerum mundi facilem, & distinctam co-

gnitionem. Ex quibus etiam patet, maximam esse eius utilitatem; nam omnes res mundi ad decem classes reduxisse, & res in vnaquaq; contentas ordinasse secundum rationem prædicati superioris, & inferioris, maximè iuvat non solum ad primam operationem intellectus dirigendam, quæ est simplicium apprehensio; sed etiam ad dirigendam secundam, & tertiam, quæ sunt compositio, & divisio; & discursus, seu ratiocinatio.

CVLVS SIT EIVS tractatio.

CIRCA quartum sunt, qui affirmant, tractationem prædicamentorum non esse Logici instituti; nam, cum in prædicamentis de omnibus rebus mundi sermo fit, videtur eorum tractatio, vel ad nullam specialem scientiam pertinere, vel saltem ad Metaphysicam, quæ agit de omni ente. Sed dicendum est, prædica-

mentorum tractationem, & ad Metaphysicam, & ad Logicam pariter spectare, sub diversa tamen ratione. Nam Metaphysicus agit de rebus in prædicamentis contentis, ut entia sunt; Logicus verò, ut subsunt secundæ intentioni prædicati, & subiecti, generis, speciei, & differentie in essentiali coordinatione.

DE ORDINE, ET DIVI-
sione eius.

CIRCA ultimum di-
cendum est, ordinem
huius libri esse, vt cæ-
teris Dialecticæ præpo-
natur. Nam cognitio coordina-
tionis essentialis omnium rerum
simplicium secundum rationem
superioris, & inferioris, quasi ia-
nua est ad cognitionem cætera-

rum partium Dialecticæ. Conti-
net autem hic liber quatuorde-
cim capita, quæ ab interpretibus
in tres præcipuas partes secari so-
lent, scilicet in antepredicamen-
ta, quæ à capite quinto vsque ad
decimum inclusiuè continentur;
& in postpredicamenta, de quibus
in reliquis capitibus.



PRIMA PARS HUIUS LIBRI, IN QVA EST SERMO de antepredicamentis.

IN hac prima parte, que dicitur antepredicamenta Arist. quædam præludia continentur valde vtilia ad ipsorum prædicamentorum cognitionem, scilicet tres definitiones, duæ divisiones, & duæ regulæ. Unde existimant

aliqui, antepredicamenta esse tria, scilicet definitionem, divisionem, & regulam. Alij verò dicunt, esse quinque secundum numerum eorum, quæ definiuntur, dividuntur, & quorum regulæ sunt, scilicet univoca, æquivoca, & denominativa, subiectum, & prædicatum.

CAPVT PRIMVM DE AEQVIVOCIS, VNIVOCIS, & denominatiuis.

TEXTVS. *Æquivoca dicuntur ea, quorum nomen solum commune est, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN TENTVM Arist. in hoc capite est explicare naturam æquivocorum, univocorum, & denominativorum; dividiturque in tres partes; in quarum prima ponit Aristot. definitionem æquivocorum; in secunda univocorum definitionem; & in tertia definitionem denominativorum. Definitio æquivocorum talis est: *Æquivoca dicuntur, quorum nomen est commune, ratio verò sub-*

stantie nomini accomodata diversa. Sunt huiusmodi animal latrabile, sidus cæleste, & piscis marinus, ut vocantur canis. Definitio univocorum est; *Univoca dicuntur, quorum, & nomen commune est, & secundum nomen eadem substantie ratio.* Sūt huiusmodi homo, & leo, ut vocantur animal. Definitio demum denominativorum sic se habet; *Denominativa dicuntur, quæ ab alio sumunt appellationem, à quo solo casu differunt.*

ANNO-

ANNOTATIONES

circa literam.

CIRCA ordinem procedendi annotandum est, meritò Arist. in primo capite huius libri definiisse univoca, æquivoca, & denominativa. Univoca, & æquivoca, quia, cum univoca collocentur in prædicamentis, & æquivoca reijciantur, necessarium fuit, utraque præcognoscere, ut univoca collocentur, & æquivoca repellantur. Agit etiam de denominativis, quia ex nouem prædicamentis accidentium, de quibus infra aëturus est, comparata ad primū prædicamentam substantia plura denominativè dicuntur; & sic etiā fuit necessarium, quid esset denominativum præcognoscere.

2 Circa definitiones æquivocorum, & univocorum notandum est cū Scoto super hoc caput q. 5. & 6. Philosophum non definiisse ipsa nomina communia, quæ dici solent activè æquivocum æquivocans, univocum univocās, sed res quæ illo nomine cōmuni significātur, & dici solēt passivè æquivoca æquivocata, univoca univocata, licet non secundum se, sed prout illo nomine communi significātur. Solū enim plures res, æquivocæ, vel univocæ dici possunt, inquantū in denominatione eiusdē nominis conspirant, & sub illa denominatione habent diversam, vel

eamdem rationem. Et hæc est ratio, cur Arist. definiendo æquivoca, & univoca, non dixit, *æquivoca sunt, univoca sunt*; sed *æquivoca dicuntur, univoca dicuntur*.

3 Definivit verò illa in numero plurali, quia una res tantū nō potest æquivocè, vel univocè significari, sed opus est, ut significetur plura eadem vocè, ut univocè, vel æquivocè dicantur.

4 Nomine autem substantiæ, quod in utraque ista definitione ponitur, idem debet intelligi, ac essentia. Vnde iuxta hoc illa dicuntur æquivoca, in quibus licet nomen sit commune, tamen quidditas, & essentia rerum, quæ illo significantur, est diversa in omnibus, ut prædicto nomine significantur. Et è contra dicuntur univoca illa, in quibus nō solū nomen est commune, sed etiā essentia rerum, quæ illo significantur, est eadem in omnibus, ut prædicto nomine significantur.

5 Ex quibus solvi potest quoddā dubium, quod hīc exagitari solet ab Authoribus, utrū scilicet definitio univocorū hīc tradita ab Arist. convenire possit denominativis? Respōdetur enim, non cōpetere, neq; esse univoca in isto rigore; nā etiam si nomen denominativum, album, v. g. commune sit homini, & equo, parieti, & alijs pluribus;

& similiter forma per ipsum significata reperitur in omnibus illis; (propter quod cap. de Accidenti quæst. 3. diximus posse nomen denominativum accidentale per ordinem ad subiecta constituere quintum prædicabile, & ad hoc habere sufficientem univocationem) tamen, cum hæc forma, quæ significatur per nomen denominativum, non sit essentialis rebus denominatis, non potest de ipsis rebus verificari, quod habeant nomen commune, & secundum nomen eandem rationem substantiæ (vt hic sumitur) pro essentia; nam in nullo est essentialiter.

6 Circa definitionem denominativorum annotandum est, in quacumque denominatione, præter operationem intellectus, quæ est quasi causalitas denominationis, tria nos posse distinguere, scilicet formam denominatam, rem denominatam, & ipsam denominativum, verbi gratia, in hac denominatione, *paries est albus*, & est albedo; quæ est forma denominans, & est paries, qui est res denominata, & est albus, quod est ipsum denominativum. Ex quibus forma denominans, scilicet albedo, est quasi prima radix, & origo totius denominationis; nam ab ea denominativum, scilicet albus, accipit appellatio-

nem, & vim denominandi. Ex quibus clara manet definitio denominativorum, quam hic tradit Aristot. reddit enim hunc sensum; *Illa dicuntur denominativa, quæ ab alio sumunt appellationem*, scilicet à forma denominante, quæ est radix, & origo totius appellationis, à quo solo casu, id est, cadentia nominis differunt.

7 Vnde licet omnibus concretis accidentalibus commune sit prædicari de substantia, in qua sunt, non tamen omnibus convenit illam denominare, sed illis tantum, quæ formæ, à qua vim denominandi accipiunt vicina sunt in nomine; id est, nomina eorum habent idem initium, & solum differunt in postremo syllabarum casu; vt Grammaticus, Logicus, &c. Et hoc discrimen insinuavit Arist. cum cap. 5. huius libri dixit; *Eorum verò, quæ in subiecto sunt in plurimis quidem, nec nomen, nec ratio prædicabitur de subiecto; in aliquibus autem nomen quidem nihil prohibet de subiecto prædicari intendum, rationem verò est impossibile.*

8 His annotatis, circa hoc caput duæ erunt disputationes. Prima de analogia in communi. Secunda de univocatione transcendentium.

DISPUTATIO PRIMA.

De Analogia in communi.



VAMVIS in præfenti Philosophus definiens æquivoca, univoca, & denominativa, nullam analogorum tradiderit definitionem; (quia analogia ab æquivocis essentialiter non differunt, sed secundum magis, ac minus, ut ex dicendis constabit) nos tamen ex professo de analogis disputamus. Tùm quia dari analogia, non solum receptum est in scholis, sed colligitur ex Aristot. 1. Ethic. cap. 5. & 4. Metaph. cap. 2. & lib. 7. cap. 4. ubi enumerat aliqua, quæ ut nomine communi significantur, nec sunt univoca, neque æquivoca strictè sumpta; sed æquivoca ad unum, vel ab uno, aut dicentia comparationem proportionis inter se. Tùm etiam quia de analogia hîc latè disputant Thomistæ, & plura statuunt, tanquam certa, quæ nec vera reputamus, neque cum his, quæ dicturi sumus disputatione sequenti de univocatione transcendentium, cohærentia sunt. Duo autem de analogia possunt desiderari. Primum, *Quid sit?* Secundum, *Quotuplex sit?*

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit analogia in communi?

CVM analogiæ nomen Græcum sit, quod Latinè idem valet, ac proportio inter diversa, testibus Cicerone libro de universitate, Quintiliano lib. 1. Institutionum cap. 6. & multis alijs, dicendum est consequenter, analogia appellari illa (loquor de ana-

logis passivè, id est, de analogis analogatis, sicut loquuntur est Arist. de univocis; & æquivocis in eorum definitionibus) quorum nomen etsi commune sit, & ratio substantiæ significata per ipsum in omnibus diversa, est tamen aliqua proportio in his diversis rationibus substantiæ, ut significatur præ-

d. Et

dicto nomine communi.

2 Ex hac definitione, quæ ex vocabulis significacionis nominis *analogia* desumpta est, neque eam rejicere possunt, nisi, qui propriam significacionem nominis *analogia* ignoraverint, inferunt, tres conditiones esse necessarias ad hoc, ut aliqua sint passivè analogæ. Prima est, ut significantur nomine communi; & in hoc conveniunt analogæ cum univocis, & æquivocis. Secunda, ut ratio substantiæ significata per nomen commune non sit eadem, sed diversa in omnibus analogis. Et per hoc conveniunt analogæ cum æquivocis, & differunt ab univocis. Quam conditionem expressit Arist. 1. Ethic. cap. 5. dum ait, rationes boni, quæ in honesto, utili, & delectabili reperitur, diversam esse in eis. Verba eius sunt. *Honoris, prudentiæ, voluptatis, hoc ipso, quod bona sunt, diverse sunt rationis, ipsum ergo bonum non est quid commune, una idea, &c.*

3 Tertia, quod inter rationes substantiæ diversas, quæ sunt in ipsis analogis, sit, ut ipso nomine communi significantur, aliqua proportio. Et per hoc differunt analogæ ab æquivocis propriè dictis, quæ talem proportionem non habent. Hanc conditionem etiã expressit Aristor. loco topic. citato; ubi postquã docuit rationem boni, quæ in honesto, utili, & delectabili reperitur, diversam esse in eis, inquit, quonam pa-

cto istæ rationes diversæ se habeant in eis? Et respondet, nõ se habere in eis quasi fortuitò; qua ratione se habent in strictè æquivocis; sed dicere inter se aliquam proportionem; quamvis in explicando, qualis sit hæc proportio, an quia sint ad unum, vel ab uno? an quia comparata inter se dicant aliquam similitudinem? non resolvat. Verba sunt. *At quonam modo dicendum? non enim hæc similia sunt, quæ nomine eodem fortuitò nuncupantur. Dicitur igitur, quia sunt ab uno, aut ad unum omnia conferuntur? an comparatione potius rationum?*

4 Clariùs utramque conditionem expressit Arist. ipse, dum 4. Metaph. cap. 2. loquendo de ente (quod & si sit univocum in quarto univocationis gradu, ut infra dicam, non tamen in primo, secundo, & tertio, sed potius analogum) sic ait. *Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad unum, utramque quamdam naturam, & non æquivocè.* (intellige loquendo de æquivocis strictè; & à casu) *Sed quemadmodum omnium sanum ad sanitatem. Quoddam est, quod conservat, quoddam est, quod signum sanitatis; quoddam verò eius capax est.* Et lib. 7. c. 4. circa finem idem repetit his verbis. *Nam rectius est, neque æquivocè dicere, neque eodem modo, sed quemadmodum medicinale, id quod ad idem aliquid, & unum, non autem idem, & unum; non tamen etiam æqui-*

æquivocè. Nullum etenim medicinale corpus, opus, & vas dicitur æquivocè: nec scilicet ad unum, sed ad unum. Ecce quomodo Aristot. ad analogiam passivè non solum requirit secundam conditionem, scilicet, quòd ratio significata nomine communi non sit eadem, ut est in univocis, sed diversa, sicut est in æquivocis, sed etiam tertiam, scilicet, quòd prædictæ rationes diversæ dicant aliquam proportionem, & per hoc distinguit illa à puris æquivocis, quorum rationes sunt diversæ, ita ut nullam proportionem dicant.

5. Ex dictis licet aliqua inferre, quæ non parum naturam analogorum declarabunt. Primum est, falsum esse id, quod aliqui Thomistæ affirmant, scilicet, analogam esse mediā inter univoca, & æquivoca, si nomine medij intelligant (ut videntur intelligere) id, quod participat aliquid ab utroque extremo; sed potius esse numeranda inter æquivoca: habent enim (sicut & illa) nomen commune, & rationem substantiæ illo nomine significatam diversam in omnibus; & solum differunt accidentaliter, penès hoc, quòd rationes istæ substantiæ diversæ dicant, vel non dicant proportionem. Unde non incongruè dicitur, in definitione æquivocorum Aristotelem, etiam analogam comprehendisse, & sic non fuisse in definiendo diminutum.

6. Porro analogam non esse me-

dium inter univoca, & æquivoca, sumpto medio pro eo, quod aliquid participat ab utroque extremo, demonstrari potest. Primum, quia si aliquid participarent analogam ab univocis, hoc esset, vel diversitas substantiæ significatæ per nomen commune; vel proportio inter prædictas rationes substantiæ diversas. (hæc enim sunt, quæ habent in se analogam) Sed diversitatem substantiæ participare non possunt; nam in univocis ratio substantiæ nomine communi significata non est diversa, sed eadem in omnibus. Nec etiam proportionem, quia ubi non est diversitas substantiæ; neque potest esse proportio inter rationes substantiæ, quia proportio relatio realis est requirens diversitatem in extremis, quæ per ipsam referuntur: ergo nil participant ab univocis.

7. Secundò, quia inter contradictoria non potest dari medium participans ex utroque extremo. Sed univoca, & æquivoca sunt contradictoriè opposita: ergo analogam nequeant esse medium ex utroque extremo aliquid participans. Maior est aperta. Minor patet ex definitione univocorum, & æquivocorum. Sunt enim univoca, *Quorum nomen est commune, & ratio substantiæ eadem, & æquivoca, Quorum nomen est commune, & ratio substantiæ non eadem, sed diversa.*

8. Secundum, quod inferretur ex dictis est, definitionem analogo-

rum satis receptam à Thomistis, scilicet, *Analogia dicuntur, quorū nomen est commune, ratio ve d substantia nomini accommodata partim eadem, partim diversa*, admittendam non esse; nam, in quantum dicit, rationē substantiæ significatam nomine cōmuni non esse simpliciter diversam, sed partim eadem, partim diversam, manifestè adversa tut Arist. loco Ethic. citato; vbi expressè docet, rationē boni, quæ in honesto, utili, & delectabili reperitur, simpliciter diversam esse; neq; per hoc analogia distinguit ab æquivocis à casu; (quæ sunt æquivoca strictè sumpta) sed quia rationes istæ substantiæ diversæ, quas dicunt analogia, sunt ad vnum, vel ab vno, id est, dicunt (vt nomine cōmuni significantur) aliquam proportionem, quam non dicunt æquivoca strictè sumpta.

9 Et est insuper contra rationem; nam (vt modò dicebamus) inter cōtradiçtoria, vt sunt idem, & diversam, non datur medium aliquid ab vtroque extremo participans: vel ergo ratio substantiæ nomine communi significata est eadem in analogis, vel non? Si est eadem non erunt analogia, sed vnivoca. Si non, necesse est, quòd sint simpliciter diversa, non secus, ac est in æquivocis strictè sumptis; nec per hoc poterūt ab illis analogia differre, sed potiùs in illorū essentiali definitione convenient; & solùm poterit stare differentia (vt nos in nostra definitio-

ne dicebamus, & locis citatis docuit Arist.) quia rationes istæ substantiæ diversæ sunt ad vnum, vel ab vno, id est, dicunt aliquam proportionem, vt nomine communi significantur.

10 Tertium, quod infertur, est, in analogis rationē substantiæ importatā nomine cōmuni non posse esse propriè, & formaliter in omnibus; sed in vno debet esse propriè, & formaliter, in alijs autem, vel denominatione extrinseca, vt contingit in sanitate respectu animalis, vtiæ, & medicinæ; & vniversim in omnibus analogis attributionis, quæ sunt, quæ ab Arist. appellatur ad vnū, vel ab vno; vel metaphoricè, & impropriè, vt cōtingit in risu respectu hominis, & prati; & vniversim in omnibus analogis proportionis, seu proportionalitatis; quæ sunt, quæ ab Arist. loco top. cit. appellatur, *per cōparationē rationū diversarū*. Quòd maxime aduertendū est contra aliquos Thomistas, qui, vt defendant, ens non esse vnivocū, adhuc in quarto modo vnivocationis ex his, quos disp. seq. referemus, sed analogum respectu substantiæ, & accidentis, dicunt, non esse hanc conditionem requisitam in omnibus analogis, sed solùm in aliquibus.

11 Sed quæ sine fundamēto hoc affirmant, ostendi potest. Primò, quia reddi nō potest ratio, cur hoc in aliquibus analogis sit necessariū, & in alijs non, cū omniū eadē sit definitio. Secundò, & principa-

liter,

liter, quia, si ratio importata per nomen cōmane esset formaliter, & propriè in omnibus analogis, cōpeteret illis definitio univocorū tradita ab Arist. siquidē nō solūm nomen esset illis cōmune, sed ratio substantiæ significæ per nomen commune esset eadem in illis.

12 Nec refert, quod obijcit Cur sus Carmel. disp. 10. q. 4. n. 35. nimirū non repugnare, dari nomen æquivocum immediatè significās plura sine habitudine, seu proportionē, quorum quodlibet sit propriè, & formaliter in vnoquoque æquivoco: ergo etiā nō repugnabit, dari nomē analogū, quod immediatè plura significet cū hac habitudine, & proportionē, quorum quodlibet sit propriè, & formaliter in vnoquoque analogo. Respōdetar enim negādo cōsequentiā, seu paritatē. Et ratio disparitatis est habitudo, seu proportio, quā debēt dicere analogæ, vt nomine cōmuni significātur, quam nō dicūt æquivocæ. Cū enim æquivocæ nullā habitudinē, seu proportionem debeāt dicere inter se, vt nomine communi significantur, nil refert, imò simpliciter est necessarium, quōd nomē commune significet immediatè rationes diversas, quarū quælibet sit propriè, & formaliter in suo æquivoco. Nā eo ipso, quōd in vno esset propriè, & in alio solūm per habitudinē, aut similitudinē ad aliud, iā significaret plura cum habitudine, & proportio-

ne. At analogæ, cū debeant dicere habitudinē, & proportionē inter se, vt nomine communi significātur, necessarium est, vt rationes diverse, quas immediatè significāt, in vno fiat propriè, & formaliter, in alijs verò solūm per habitudinē, aut similitudinē ad illud; nā si in vnoquoque essent propriè, & formaliter, non significarentur, vt dicentia habitudinē, seu proportionem inter se.

13 Quartum, quod infertur, est, esse impossibile, quōd ab analogis abstrahatur vna ratio obiectiva substantiæ omnibus communis, & quæ proximè per nomen cōmune significetur; sed nomen cōmune debet significare immediatè diversas rationes substantiæ, quæ sunt in analogis, vt dicūt proportionem, seu habitudinē inter se. Quod, præterquam quōd est expressa sententia Arist. in loco topicorum n. 2. cicato, demonstrari potest à posteriori, & à priori. A posteriori, quia, si ab analogis posset talis ratio substantiæ abstrahi, falsò diceremus in eorum definitione: *Analogæ dicantur es, quorum nomen, et si commune sit, & ratio substantiæ per ipsum significæ in omnibus diversa, est tamen aliqua proportio in his rationibus substantiæ, vt communi nomine significantur.*

14 A priori verò, quia (vt probatum est in præcedenti colorario) ratio substantiæ significata per nomen commune analogum propriè,

propriè, & formaliter solum est in vno ex analogis, in reliquis verò, vel denominatione extrinseca, vel metaphoricè. Sed forma intrinseca, & extrinseca, vel forma propria, & metaphorica non possunt per vnicum conceptum obiectivum representari: ergo neq; ab analogis abstrahi poterit vnica ratio substantiæ obiectiva omnibus communis; quæ per nomen commune immediatè significatur.

15 Quintum, & vltimum, quod inferitur, est, in analogatis semper esse vnum præcipuum, pro quo nomen analogum absolutè prolatum supponat, & per ordinem ad quod cætera definiantur, (quod non reperitur in vnivocis, aut æquivocis) illud scilicet, in quo propriè, & formaliter ratio substantiæ significata per nomen commune reperitur, & ad quod cætera analogata dicuntur habitudinem, seu proportionem.

QVÆSTIO II.

Quotuplex sit analogia?

1 **P**lures Authores dividunt analogiam in communi in analogiam Physicam, seu secundum esse, (quam Caietanus tractatu de Analogia, analogiam inæqualitatis appellat) & in analogiam Logicam, & secundum intentionem. Analogiam Physicam, seu secundum esse appellant, quam habent,

rationes communes genericæ, prout à parte rei existunt contractæ in suis speciebus; qua ratione inæqualitatem habent; nam ratio generica in vna specie perfectiori modo existit, quam in alia, licet non ratione sui, saltem ratione differentiæ sibi adiunctæ. Analogiam verò Logicam, seu secundum intentionem vocitant, quæ competit rebus non prout à parte rei existunt, sed prout à nobis concipiuntur sub aliqua ratione præcisa, & abstracta, nomine communi significata, proportionari. Talis est analogia, quæ convenit animali, vrinæ, & medicinæ, vt significatur nomine, *sanum*.

2 Hæc distinctio analogiæ, etsi optima sit, & ad intelligentiam dicendorum disput. sequenti de Vnivocatione entis valde necessaria, habeatque fundamentum in Aristoteli, qui 10 Metaph. cap. 2. docet, genus in suis speciebus analogicè existere; illiusque meminerunt Scotus in 1. d. 3. qu. 3. litera Q. ad 2. & d. 8. q. 3. lit. E. ad 3 & D. Tho. ibidem d. 19. q. 5. art. 2. ad 1. nihilominus ad propositum non est; nam nos in tota ista disputatione solum agimus de analogia Logica, seu secundum intentionem, quæ est analogia propriè dicta, & quæ cum univocatione simul stare non potest; non verò de analogia Physica, & secundum esse, quam Caietanus inæqualitatis appellavit, quæ impropria est, & simul cum univocatione Logica, seu

seu secundum intentionem reperitur.

3 Loquendo ergo de analogia Logica, seu secundum intentionem, quæ est analogia rigorosa, & quæ cum univocatione nõ potest reperiri; imò (vt quæstione præcedenti dicebamus) ab æquivocatione non differt essentialiter, sed solum accidentaliter, & secundum magis, & minus; communis consensus Dialëticorum (quibus expresse faver D. Tho. q. 2. de veritate art. 2.) illam dividit in analogiam proportionis, seu attributionis; & in analogiam proportionalitatis. Analogiam proportionis, seu attributionis appellant proportionem, seu attributionem, quæ inter duas, aut plures rationes substantiæ, vt aliquo nomine communi significantur, reperitur; verbi gratia, proportionem, seu attributionem, quæ reperitur inter sanitates, quæ sunt in animali, vrina, & medicina, vt hoc nomine *sanum* (quando de animali, vrina, & medicina dicitur) significantur.

4 Analogiam verò proportionalitatis dicunt proportionem, quæ versatur inter duas proportionem, quæ ad invicem comparatas, vt nomine communi significantur, verbi gratia, proportionem, quæ versatur inter proportionem, quam dicit pratum ad suum florere, & proportionem, quam dicit homo ad suum risum ad invicem comparatas, vt significantur hoc nomine *ridere*, quando de prato, &

de homine prædicatur.

5 Huic divisioni analogiæ libenter subscribo; non solum quia communi consensu Dialëticorum firmatur; sed etiam, quia existimo esse Aristot. loco Topicor. quæstione præcedenti num. 3. citato; vbi loquens de æquivocis, quæ non sunt eorum, quæ eodem nomine fortuitò, & à casu nominantur, vt sunt bonum honestum, vtile, & delectabile, (in quibus æquivocis omnes dicunt, Aristot. intellexisse ea, quæ nos analogia Logica, & secundum intentionem appellamus) ea dividit in ea, quæ eodem nomine appellantur, quia sunt *ab vno*, id est, ab vno principio, vel *ad vnum*, id est, ad vnum finem, (quibus verbis comprehendit analogia, quæ nos proportionis, seu attributionis appellamus) & in ea, quæ eodem nomine nuncupantur ob comparisonem, id est, similitudinem rationum. Quibus verbis comprehendit analogia, quæ nos appellamus proportionalitatis.

6 Et insuper, quia si analogia, attenda vi suæ significationis, (vt quæstione præcedenti numero 1. dicebamus) idem significat, ac proportio inter diversa, profectò tot, & non plures, erunt species analogiæ, quot fuerint species proportionum inter diversa, vt aliquo nomine communi significantur. Sed sic est, quodd tantum datur duæ species proportionum inter diversa, vt aliquo nomine

communi significantur, scilicet proportio inter res, & proportio inter proportiones, que dici solet proportionalitas: ergo & duæ tantum erunt species analogiæ, scilicet analogia proportionis, seu attributionis, & analogia proportionalitatis.

7 Sed circa has duas species analogiæ aliqua annotanda sunt, quæ non parùm conducent ad ipsarum clariorem intelligentiã. Primum est, analogiam proportionis, seu attributionis solum exposcere duos terminos; quia, cum sit proportio inter rationes substantiæ diversarum rerum, ut significantur nomine communi, solum habebit pro terminis ipsas rationes substantiæ diversarum rerum, inter quas est analogia. At analogia proportionalitatis necessariò requirit quatuor terminos; quia (ut dictum est) est proportio inter rationes substantiæ diversarum proportionum, ut nomine communi significantur; & manifestum est, vnamquamque proportionem duos terminos postulare.

8 Secundò annotandù est, analogiam proportionis, seu attributionis dupliciter posse contingere; vel inter rationes substantiæ rerum diversarum, quæ, ut nomine communi significantur, dicunt proportionem inter se, ut contingit inter vnam, & animam, ut significatur nomine *sani*; vel inter rationes substantiæ rerum diversarum, quæ etiam si ut significatur nomine communi, non dicant proportionem inter se,

illam tamen dicunt ad aliquod tertium, quod præcipuè per nomen illud commune, significatur. Ita corin git in vrina, & medicina, ut nomine communi *sani* significantur; non enim vrina dicitur sana, quia est signum sanitatis, quæ est in medicina; neque medicina dicitur sana, quia est causa sanitatis, quæ est in vrina, sed quia, vrina est signum, & medicina causa sanitatis, quæ est in animamali; ad quam solum, immediatè dicunt habitudinem proportionis, ut nomine communi significatur, & media ista, inter se.

9 Tertio annotandum est, conditiones illas ad analogiam quæstione præcedenti requisitas, scilicet, quòd ratio substantiæ nomine communi significata sit simpliciter diversa in analogis, & solum idem secundum quid, id est, ratione proportionis; & insuper, quòd in vno ex analogis sit formaliter, & propriè, in alijs verò solum impropriè, non solum debere competere analogis proportionis, seu attributionis, sed etiam analogis proportionalitatis ob rationes, quas ibi assignavimus; ac per consequens ad analogiam proportionalitatis requiri necessariò, quòd proportiones, quæ sunt inter quas immediatè versatur proportionalitas, & quæ immediatè significantur nomine communi, sint diversæ rationis; & similiter, quòd ratio significata nomine communi sit formaliter, & propriè in vna, in alia verò impropriè, & solum per metapho;

taphoram; vt conningit in ratione risus respectu hilaritatis hominis, & prati.

10 Ex dictis, & annotatis circa divisionem analogiæ aliqua licet inferre contra aliquos Thomistas. Primum, non solum contra communem consensum Dialecticorum, sed etiã contra D. Th. & Arist. locis citatis, introductã esse ab aliquibus ex his analogiã transcédentis distinctã in specie ab analogijs proportionis, & proportionalitatis; siquidem communis consensus Dialecticorum, D. Thomæ, & Aristot. has tantum duas species analogiæ agnoscit.

11 Sed obijcit Cab. tra &. 4. disp. 2. dub. 3. n. 6. ens dicitur analogicè de Petro, & Paulo. Sed inter Petrum, & Paulum, neq; est proportio, neque proportionalitas: ergo datur analogia distincta ab analogia proportionis, & proportionalitatis. Respondetur, hoc argumento potius debuisse convinci prædictum Authorem ad asserendum oppositum illius, quod, vt verum, præsupponit, scilicet ens non analogicè, sed univocè prædicari de Petro, & Paulo: siquidẽ inter Petrum, & Paulum non est proportio, aut proportionalitas in habendo esse; quæ sunt species analogiæ à comuni consensu Dialecticorum, D. Th. & Arist. numeratæ. Neq; D. Th. quæ per se adducit, (omitto nunc Arist. quem etiã adducit, de cuius mente futurus est sermo disput. seq.) ei favere potest; nam etiam si asseret, ens

dici analogicè de substantia, & accidenti, sed hoc non affirmat respectu Petri, & Ioannis.

12 Secundum, quod inferitur, est, ineptè dividi ab aliquibus Thomistis analogiam proportionalitatis in propriam, & impropriam; quia, si (vt dictum est, & probatum) ratio substantiæ nomine communi significata, non solum in analogis proportionis, sed etiam proportionalitatis, debet esse diversa, & consequenter in vno propriè, & formaliter, in alijs verò solum impropriè, vel per denominationem extrinsecam, vt contingit in analogis proportionis; vel per metaphoram, vt contingit in analogis proportionalitatis, nulla poterit dari analogia proportionalitatis propriæ, id est, in qua ratio substantiæ significata nomine propriè, & formaliter in omnibus analogis reperiatur, sicut neque datur (ipsis adversarijs consentientibus) in analogis proportionis. Vnde ad aliquas instantias, quibus oppositum probare contendunt, videlicet instantia entis, quod propriè, & formaliter est in substantia, & accidenti, de quibus analogicè analogia proportionalitatis prædicatur. Et idem est iudicium de principio respectu huius, vel illius principij; & de pede respectu pedis animalis, montis, & scani. Respondetur, vel hæc non dici analogicè; (vt ipsi existimant) vt de

ente lex professo disputatione sequenti demonstrabimus, & de principio expressè docuit Arist. 5. Metaphys. cap. 1. his verbis; *Omnibus igitur principijs commune est esse primum; unde aut est, aut fit, aut cognoscitur.* Vel si dicuntur analogicè, ut contingit in instantia pedis, rationem substantiæ significatam per ipsum nomen in vno analogo esse propriè, & formaliter, scilicet in animali, in alijs verò, scilicet in monte, & scano solum impropiè, & metaphoricè.

13 Tertium, & vltimum, quod inferitur, est, nomen analogiæ attributionis, quod communiter attribuitur analogiæ proportionis, posse etiam extendi ad analogiam proportionalitatis, si non absolutè, sed cum hoc addito dicatur, scilicet analogia attributionis inter duas proportiones. Et ratio est, quia, si analogia proportionis dicitur attributionis, quia ratio substantiæ, quæ est in

minus præcipuis analogatis denominatur nomine cõmuni analogo propter attributionem, quæ dicit ad rationem substantiæ, quæ est in præcipuo analogato, hoc idem contingit in analogis proportionalitatis, & solum est discrimen, quòd attributio ista in analogis proportionis est inter rationes substantiæ diversarum rerum; at in analogis proportionalitatis est inter rationes substantiæ diversarum proportionum. Vnde non displicet mihi aliquorum sententia, qui docent, distinctionem inter istas analogias non tam esse formalem, quàm materiale, id est, non tam provenire ex eo, quòd ipsæ analogiæ diversæ rationis sint, quàm ex eo, quòd rationes substantiæ, inter quas versantur, sunt diversæ, videlicet in analogia proportionis rationes substantiæ nomine communi significatæ sunt diversarum rerum; in analogia verò proportionalitatis sunt diversarum proportionum.



DISPUTATIO II.

De univocatione transcendentium.

EXPLICATIS æquivocorum, univocorum, & analogorum naturis, haud difficile erit explicare, quonam modo ex his transcendentia, ut sunt ens, & eius passionēs, de omnibus entibus realibus, tam creatis, quam increatis, tam substantialibus, quam accidentalibus dicantur; res quidem inter Thomistas, & Scotistas admodum controversa. Et quia iudicare, an ens, & passionēs eius dicantur univocè, an analogicè de prædictis entibus (de hoc enim est controversia; nam quòd purè æquivocè non dicantur iam fatentur omnes) maximè pendet ex eo, quòd ab omnibus entibus possit, vel non possit abstrahi cōceptus obiectivus entis omnibus superior, & communis, & insuper quòd possit, vel non possit abstrahi prædictus conceptus, nititur maximè in diversis modis philosophandi circa modum, quo ens includitur in suis modis intrinsicis; ultimis differentijs; & proprijs passionibus, ideò, ut rem hanc ab ultimis fundamentis eruamus, sic me geram. Primò discutiam, *Vtrum ens in modis intrinsicis, per quos descendit ad inferiora, suisque passionibus, & ultimis differentijs formaliter, & quidditative includatur?* Secundò, *An ens dicat unum conceptum obiectivum præcisum, & abstractū à suis inferioribus?* Tertiò, *An ens univocè dicatur de Deo, & creaturis, de substantia, & accidenti?*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum ens in modis intrinsicis, suisque passionibus, & ultimis differentijs formaliter, & quidditative includatur?

POSTQVAM Subtilis Doctor in 1. dist. 3. q. 2. §. Secundò non asserendo statuisset, ens univocè prædicari de Deo, & crea-

turis, de substantia, & accidentibus, in eadem distinctione qu. 3. §. Ad quæstionem lit. F. ponit hæc verba. *Quantum ad primum dico, quòd ens non est univocum dictum*

in quid de omnibus per se intelligibilibus, quia nō est de differentiis ultimis, nec de proprijs passionibus &c.

2 Hæc verba Scoti ansam præbuerūt aliquibus Scotistis, vt duo ponerent asserta. Primū est, secundū Scotū aliud esse vnivocè prædicari, & aliud esse vnivocum prædicatum; nam vnivocè prædicari, dicunt, idem esse, ac affirmari de pluribus secundū nomen, & rationem, licet prædicta ratio non includatur in illis, neq; de illis dicatur quidditativè, & essentialiter, vt cōtingit in his prædicationibus, *Petrus est albus, Petrus est risibilis, &c.* Ad vnivocum prædicatum, dicunt, præter hoc, quod est dici de multis secundū nomē, & rationē, requiri etiam, quod ratio significata per nomē includatur quidditativè, & essentialiter in inferioribus, de quibus, prædicatur, vt contigit in his prædicationibus: *homo est animal, leo est animal, &c.*

3 Secundum est, ex mente Scoti licet ens vnivocè prædicetur de omnibus entibus realibus, non tamen esse respectu omnium vnivocum prædicatum, & consequenter, neq; essentialiter, & quidditativè in omnibus includi: licet enim ipsi hoc conveniat respectu generum, specierū, individuorū, & etiā differentiarū, quæ non sunt ultimæ; non tamen hoc habet respectu ultimarum differentiarum, suarum passionum, & modorū intrinsicorū, per quos descendit, &

contrahitur ad decem prædicamenta; idque probant Scotistæ rationibus infra adducendis.

4 Hoc secundum Scotistarum assertum rejiciunt omnes Thomistæ, præcipuè Caier. de Ente, & Essentia cap. 1. Soncinas 4. Metaphys. qu. 19. Ferr. 1. contra gentes cap. 25. Suar. 1. to. Metaph. disput. 2. sect. 5. & communiter recentiores per oppositum affirmantes, ens includi essentialiter, & quidditativè in omnibus suis inferioribus, siue hæc inferiora sint genera, & species, siue sint differentiarū ultimæ, siue modi intrinseci, siue sint passionis entis, in sententia eorum, qui dicunt, passionis entis consistere non in negationibus, sed in entitatibus positivis.

5 Et quamvis ad hoc probandum plura cōgerant argumenta, omnia tamē hanc difficultatē attingunt, scilicet supposito, quod differentiarū ultimæ, propriae passionis entis, modi intrinseci, per quos descendit, seu cōtrahitur ad decem prædicamenta, sunt aliquid positivum habens esse à parte rei, nō solum inquantū identificatur cū alijs, sed etiā præcisè, & secundū suas rationes formales, & quidditativas considerata, videtur implicatio in adiecto asserere, ultimas differentias, passionis entis, & modos intrinsecos, per quos descendit, & contrahitur ad decem prædicamenta secundū suā essentialē, & quidditativā rationē nō esse entia realia, sed solum hoc illis cōpatere materia-

terialiter, & identicè, scilicet inquantum illa, cum quibus identificantur, entia realia sunt, sumpropte reali pro eo, quod habet esse à parte rei, & seclusa operatione intellectus.

6 Quod confirmant autoritate Arist. ex 3. Met. tex. 10. (quam etiam Scotus adduxit contra se) ubi ens non esse genus probat hac ratione: nullum genus prædicatur de differentijs; ens prædicatur de differentijs: ergo ens non est genus. Ex quibus verbis sic argumentantur Thomistæ. Vel Arist. intelligit maiorem de prædicatione formali, & quidditativa, vel solum de materiali, & identica? Si de materiali, & identica, maior syllogismi esset falsa, nam genera materialiter, & identicè optimè de differentijs prædicantur. Si verò intelligit de formali, & quidditativa; ergo eodem modo erit intelligenda minor, ne varietur suppositio; & consequenter ex mente Arist. ens prædicabitur de differentijs formaliter, & quidditative; quod est intentum.

7 Pro intelligentia doctrinæ Scoti, & clara resolutione huius difficultatis supponendum est, ens esse in duplici differentia; nam aliud est ens *quid*, & aliud ens *quale*. Ens *quid* dicitur illud, quod est quid potentiale, & contrahibile, & consequenter habet se respectu illius, ad quod contrahitur, substantivè, seu per modum

per se stantis. Ens *quale* illud appellatur, quod habet rationem actus, & determinatis, seu contrahentis, & consequenter habet se respectu illius, quod per ipsum determinatur, & contrahitur, qualitativè, & per modum adiacentis. Vnde cap. de Genere disp. unica q. 2. dicebamus, quòd etiam si differentia sit de quidditate speciei, non secus, ac genus, nihilominus ex mente Porphyrij, Aristot. Scoti, & D. Th. genus prædicatur de specie *in quid*, differentia verò *in quale*, non alia ratione, nisi quia genus respectu speciei se habet, vt quid superius, & potentiale, & consequenter substantivè, seu per modum per se stantis, at differentia se habet, vt quid actrans, & determinans, & consequenter qualitativè, & per modum alteri adiacentis.

8 Hoc præsupposito ad præsentem difficultatem sub distinctione respondendum est, nam, cum inquiritur, utrum ens in modis intrinsecis, suisq; passionibus, & differentijs ultimis formaliter, seu quidditative includatur? aut sermo est de ente *quid*, id est, potenciali, & contrahibili? aut de ente *quale*, id est, habente rationem actus, seu determinantis, & contrahentis? Si sermo sit de ente *quid*, dicendum est primò, hoc ens, etsi formaliter, & quidditativè includatur in generibus, speciebus, & differentijs non ultimis, nõ tamen includi in modis intrinsecis

cis illius, neque passionibus eius, neque in ultimis differentijs formaliter, & quidditativè; sed solum materialiter, & indenticè, non secus, ac genus includitur in differentijs. Hæc est germana mens (vt optimè annotavit Philippus Faber theoremate 95. c. 4.) Subtilis Doctoris verbis adductis. In quibus ponderandum est, non absolute affirmare Scotum, ens non includi formaliter, & quidditativè in differentijs ultimis, &c. seu esse univocum, & essentialiter prædicatum ipsorum, sed cum hoc addito *in quid*. Legantur, & ponderentur verba.

9 Veritatem huius asserti meo videri clarissimè ostendunt rationes, quas pro ipso facit Scotus. Prima, & quæ procedit, tam de differentijs ultimis, quam de modis intrinsicis, per quos descendit, seu contrahitur ens *quid*, seu potentiale ad decem prædicamenta, talis est. Si ultimæ differentiæ hominis, & equi, aut modi intrinsici constitutivi substantiæ, & accidentis includerent essentialiter, & quidditativè rationè entis *quid*, seu potentialis, & omnibus communis, necessariò convenirent in ista ratione entis: ergo, vt inter se differant, indigerent alijs differentijs, seu modis intrinsicis, nam, quæ conveniunt in aliquo potentiali, & communi, differentijs differunt ex Arist. 5. Metaph. cap. 9. Modò ergo inquiri de istis differentijs, seu modis intrinsicis, qui-

bus priores differentiæ differunt, an etiam includant essentialiter, & quidditativè rationem entis *quid*, an non? Si dicas, quòd non, habemus intentum, scilicet ens *quid* in ultimis differentijs, & modis intrinsicis, per quos descendit, & contrahitur ad decem prædicamenta, formaliter, & quidditativè non includi. Si dicas, quòd includant, idem colligam, quòd prius, scilicet istas differentiæ, seu modos intrinsicos necessariò convenire in ratione entis, & consequenter, vt inter se differant, indigere alijs differentijs, seu modis intrinsicis. Quod est in infinitum procedere.

10. Secunda ratio talis est. In compositione reali, & physica, si fiat resolutio compositi, non est processus in infinitum, sed tandem devenimus ad simpliciter simplicia, id est, ad duas res, seu realitates; quarum vna ita est potentia, vt nullum includat actum physicum, & altera ita est actus, vt nullam potentialitatem habeat, quæ propterea dicuntur primò diversa, id est, in nullo convenientia: ergo similiter in compositis metaphysicis, si fiat resolutio, non debet dari processus in infinitum, sed tandem deveniendam est ad duos conceptus obiectivos simpliciter simplices, & primò diversos ita, quòd vnus sit totus determinabilis, & nil determinans includat; & alter totus determinans, ita vt nil potentiale, & contrahi-

bile

bile includat. Sed, si ultimæ differentię essentialiter includerēt ens *in quid*, ita ut essent quid determinabile, & ulterius contrahibile, in resolutione compositi Metaphysici non possemus devenire ad cōceptus obiectivos simpliciter simplices, & primò diversos: ergo vel fatēdum est, in resolutione compositi Metaphysici dari processum in infinitum, (quod est absurdum) vel ultimas differentias non includere essentialiter ens *quid*, sed ens *quale*, (ut statim dicam) id est, solum determinans, & contrahens, quod est intentum.

11 Tertia, & quæ specialiter procedit de passionibus entis, & etiam accommodari potest modis intrinsicis, talis est. Si aliqua passio entis includit essentialiter ens *quid*, id est, potentiale, & contrahibile, inquirō, an præcisè includat ens, ut sic, an aliquid amplius? Si præcisè includat ens: ergo passio, & subiectum sunt idem, non solum realiter, sed etiam formaliter, quod est absurdum. Si includat ens, ut sic, & aliquid amplius, inquirō de illo, quod amplius includit, an essentialiter includat ens *quid*, an non? Si dicas, quod includit, idabitur processus in infinitum, & consequenter ens non solum bis, aut ter, sed infinities includetur in sua passione. Si dicas, quod non; sic argumentor. Vnum, vel quæcumque alia passio entis, non est passio entis *quid* ratione entis *quid*, quod includit,

sed ratione alterius, quod non includit ens *quid*: ergo vera est nostra sententia, scilicet passiones entis, ut passiones præcisè sunt, non includere essentialiter ens *quid*. Omitto plures alias rationes, quæ videri possunt in Scoto loco citato.

12 Si verò sermo sit de ente *quale*, id est, quod tantum habet rationem contrahentis, & qualificantis, dicendum est secundò, ultimas differentias, modos intrinsicos, & passiones entis includere formaliter, & quidditative hoc ens. Hanc conclusionem meo videri evidenter demonstrat ratio adducta pro sententia Thomistarum; probat enim, differentias ultimas, modos intrinsicos, & passiones entis (supposito, quod consistant in positivo) non solum materialiter, & in quantum identificantur cum ente, cuius sunt differentię, &c. Sed etiam formaliter, & secundum se consideratas esse entia realia, sumpto ente reali pro eo, quod habet esse seclusa operatione intellectus; cumque esse non possint, ut sic, ens reale *quid*, ut rationibus Scoti probatum est, inferturnecessariò, quod sint ens reale *quale*.

13 Neq; huic asserto contradicit Scotus, aut rationibus, aut verbis. Non rationibus; nam rationes solum convincunt, ultimas differentias, &c. non includere formaliter, & quidditative ens *quid*, id est, potentiale, & contrahibile, quòd.

quod verò essentialiter, & quidditative non includant ens *quale*, id est, determinans, & contrahens, non solum non suadet, sed oppositum, & intendunt, & convincunt. Non verbis; nam (vt annotavi) in verbis adductis non loquitur absolute de ente, sed cum addito in *quid*.

14 Ex quibus infero primo, non esse necessarium ad salvandum, quod docet Scot. de univocatione entis respectu per se intelligibilium recurrere ad distinctionem illam aliquorum Scotistarum de predicari univocè, & esse univocum predicatum. Tum quia, etiam si Scot. in 3. d. 7. q. 2. §. *Quarta videndum est*, & q. 3. predicamentorum in solutione ad 4. distinguat inter predicari univocè, & esse univocum predicatum; sed distinctionem istam non explicat, sicut isti Scotistae, sed potius modo contrario; dicit enim ad predicari univocè non sufficere affirmari de pluribus secundum nomen, & rationem, sed etiam esse necessarium, quod ratio significata per nomen sit de essentia, & quidditate eorum, de quibus predicatur. At verò ad esse univocum predicatum dicit sufficere, quod conceptus eius sit unus, etiam si in his, de quibus dicitur, non includatur quidditative, & essentialiter. (quorum oppositum contendebant Scotistae illi) Tum etiam, quia Scotus non dixit, ens predicari univocè de omnibus entibus realibus; (vt ipsi dicunt in secundo asserto) aliàs sibi contradiceret, cum verbis citatis

ait, non esse univocum predicatum de omnibus per se intelligibilibus; licet enim univocum predicatum non semper univocè predicetur; tamen, quod univocè predicatur, semper est univocum predicatum; habent enim se univocum predicatum, & univocè predicari iuxta mentem Scoti, sicut superius, & inferius. Sed quod docuit Scot. est, ens *quid*, id est, potentiale, & contrahibile non esse predicatum univocum, & consequenter neque univocè predicari de omnibus per se intelligibilibus, quia neque de differentiis ultimis, &c.

15 Infero secundo, non esse contra Scotum rationem adductam pro sententia Thomistarum, & plures similes, quas ipsi multiplicant, nam licet optime probet, ultimas differentias, modos intrinsecos, & passiones entis includere formaliter, & quidditative ens, sed non ens *quid*, seu potentiale, (quod est, quod affirmat Scot.) sed ens *quale*, seu actiuans, & determinans; quod nos libenter fatemur.

16 Ex quibus etiam intelligetis, quo pacto ens dicatur transcendens. Est enim transcendens, quia in omnibus entibus est, & de omnibus predicatur; sed cum hoc discrimine, quod in entibus non simpliciter simplicibus, vt sunt genera, species; & differentiæ non ultime, est, & predicatur ens *quid*, id est, ens potentiale, & contrahibile; in entibus autem simpliciter simplicibus, vt sunt ultimæ differentiæ, &c.

est,

est, & prædicatur ens *quale*, id est, ens determinans, seu denominans. Quod apertè satis indicavit Scot. in 1. d. 3. q. 3. lit. L. his verbis. *Ens est univocè omnibus, sed conceptibus non simpliciter simplicibus est univocum in quid dicti de eis; sed simplicibus est univocè, ut determinabile, vel denominabile, nõ autem, ut dictum de eis in quid, quia hoc includit contradictionem.*

17 Infero tertio cum Scoto in 2. d. 3. q. 6. ante lit. L. verè. *Respondeo*, ab ultimis differentijs (& idem est iudicium de modis intrinsicis, per quos ens descendit ad decem prædicamenta, & de passionibus eius formaliter consideratis) nil posse abstrahi commune, quod de eis prædicetur in *quid*, cum nec ratio entis possit, ut sic, abstrahi. Et hæc est ratio, ob quam Scot. illas appellat cõceptus simpliciter simplices, id est, primò diversos, & irresolubiles in plures. Et dixi notanter, quod in *quid* de ipsis prædicetur; nam ultimas differentias (& idem est iudicium de modis intrinsicis, & passionibus) posse habere aliquã negationem cõmunem, vel aliquid positivũ, quod de eis non in *quid*, sed tanquam modus, & consequenter in *quale* de ipsis prædicetur, docuimus capite de Specie disp. 2. q. 1.

18 Sed quid respondendum est ad autoritatem Arist. adductam pro sententia Thomistarũ, quæ videtur probare, ens, nõ qualecumque, sed ens *quid* potentiale, & cõ-

mane includi in ultimis differentijs? Responderetur, duas solutiones ad ipsam adduxisse Scotum, quarum quælibet est sufficiens. Prima est, posse negari illã minorem, scilicet ens clauditur in differentijs. Neq; hoc est cõtra autoritatem Arist. quia quæ in 3. Met. dicit, dicit disparando in utramq; partem questionum, ut in proœmio ipse promisserat. Secunda est, verã esse minorem loquendo de differentijs sumptis à tota forma, & quæ dicuntur non ultimæ, non verò loquendo de differentijs desumptis, non à tota forma, sed ab ultimo illius gradu, & quæ dicuntur ultimæ; quæ sunt, de quibus nos negamus includere ens *quid* formaliter, & quidditative. Et hoc esse sufficiens ad probandum, ens nõ esse genus; nam genus non debet includi in differentijs, adhuc sumptis à tota forma, & quæ dicuntur non ultimæ.

19 Ex quibus responderi potest ad quandam dubitationem, quæ hinc molestè nimis solet exagitari, scilicet quid intelligat Scotus per differentias ultimas? nam responderetur intelligere illam, quæ sumitur, non à tota entitate forme, sed quæ sumitur ab ultimo illius gradu, qualis est conceptus ille obiectivus, qui solum includit hoc, quod est constituere, & distinguere; siue sit conceptus differentie subalterne, siue infimæ, siue individualis.

QVÆSTIO II.

*Vtrum ens dicat vnum conceptum
obiectivum præcisum, & ab-
stractum à suis infe-
rioribus?*

PRO intelligentia tituli quæ-
stionis supponendum est, cõ-
ceptum esse duplicem; formalem,
& obiectum. Conceptus formalis
dicitur ipsa operatio intellectus,
per quam, tanquam per formam
redditur intellectus intelligens.
Conceptus verò obiectivus dicitur
res, quæ cognoscitur, vt repre-
sentatur per intellectiõnem, siue
per conceptum formalem. Ex his
patet titulus quæstionis; inquiri-
mus enim, vtrum id, quod cognos-
cimus audito nomine entis com-
munis, & transcendentis ad Deũ,
& creaturas, ad substantiam, & ad
nouem genera accidentium, sit
aliquid vnum abstractum, & præ-
cisum à Deo, & à creaturis, à sub-
stantia, & accidentibus; non secũs,
ac est vnum abstractum, & præci-
sum ab homine, & equo, & alijs spe-
ciebus animalis id, quod cognos-
cimus audito nomine animalis?
An verò non; sed potius sint om-
nia prædicta inferiora entis, vt
aliquam proportionem, & habitu-
dinem convenientiæ inter se ha-
bent, non secũs, ac, audito hoc no-
mine *sanum*, sunt plura, quæ con-
cipimus, scilicet animal, vrina, &
medicina, vt dicunt inter se pro-

portionem, & attributionem?

2 Partem negativam tenent
plures Thomistæ; Caiet. tract. de
Analogia cap. 4. 5. & 6. Ferr. 1.
contra gentes cap. 34. Soncinas
4. Metaph. qu. 2. Flandri. ibidem
q. 5. ar. 6. Fonseca 2. Metaph. c. 2.
q. 2. sect. 4. conclus. 2. Vazq. 1. p.
disp. 22. c. 5. & disp. 114. c. 2. Ru-
bius tract. de Analogia à num. 37.
vsque ad 43. Cursus Carmelitan.
disp. 111. q. 5. §. 1. qui alios plures
citatur, & inter eos D. Tho. 8. Me-
taph. lect. 3. & lib. 10. lect. etiam 3.
& alijs multis in locis.

3 Hæc sententia duobus mo-
dis defendi potest. Primò sustinẽ-
do, accidentia non esse formalitèr
entia, sed solùm per attribu-
tionem ad substantiam, ad modũ,
quo vrina, & medicina dicuntur
sana. Ex quo principio licet opti-
mè sequatur, non posse dari con-
ceptum obiectivum entis vnicũ,
& præcisum à substantia, & acci-
denti, sicuti neque potest dari cõ-
ceptus obiectivus sani vnicus, &
præcisus ab animali vrina, & me-
dicina. Tamen principium istud
Scot. in 4. d. 12. q. 1. lit. H. appel-
lat ignorantiam vocabuli accidẽ-
tis; & Hurt. disp. 9. Logicali sect. 2
§. 18. indignum viro Philosopho.
Quid enim absurdius, quam nouẽ
generibus accidentis, quæ sunt
membra, in quæ simul cum gene-
re substantiæ Arist. ens reale crea-
tum adæquatè divisit, & (vt Sco-
tus ait) sunt principia agendi, &
cognoscendi substantiam ex Arist.

1. de Anima, & obiecta sensuum, & termini aliquorum motuum realium, ut sunt augmentatio, alteratio, & latio, veram, & formalem rationem entis denegare. Si enim accidentia non sunt verè, & formaliter entia, quid videmus? quid gustamus? quid palpamus? &c. Nil profecto; nam enti verò, & formaliter, ut sic, solum nil, & chimera opponitur.

4. Deinde, si accidens solum est ens per attributionem ad substantiam, & ad modum, quò urina dicitur sana per attributionem ad sanitatem animalis, sequitur, accidens solum dici ens denominatione extrinseca ab entitate, quæ est in substantia, non secùs, ac urina dicitur sana denominatione extrinseca à sanitate, quæ est in animali. Consequens est absurdum; ergo & illud, ex quo sequitur. Quòd consequens sit absurdum pater; nam, si accidens solum denominaretur ens extrinseca denominatione ab entitate, quæ est in substantia, diceretur ens per se; nam entitas, quæ est in substantia, entitas est per se.

5. Nec refert, quòd Arist. passim substantiam appellat ens simpliciter; accidens verò entis ens: nam etiam scriptura clamat, solum Deum habere esse: Iob 14. *Nonne tu, qui solus es?* Exodi 3. *Ego sum, qui sum:* & 14. *Qui est, misit me ad vos:* & tamen nullus negabit, substantias esse entia verè, & formaliter. Quòd si respon-

deas, Deum comparatum ad creaturas dici simpliciter habere esse à scriptura; non quia creatura non habeant formaliter esse, sed quia illud habent dependenter à Deo in genere causæ efficientis. Ego dicam idem de substantia comparata ad accidentia, dici, inquam, ab Arist. simpliciter ens, non quia accidentia non sint formaliter entia, sed quia illud esse, quòd habent, dependenter habent à substantia in genere causæ materialis.

6. Secundo modo potest hæc sententia defendi, non negando hoc principium, sed affirmando, accidentia esse verè, & formaliter entia. Qui modus philosophandi receptus iam est, adhuc inter istos Authores, qui negant dari conceptam obiectivam entis unicum, & præcisum à substantia, & accidenti, à Deo, & à creaturis. Et stando in hoc principio difficilius est ostendere, non dari conceptam obiectivam entis unicum, & præcisum à substantia, & accidenti, à Deo, & à creaturis. Probant nihilominus. Primò ex Arist. 4. Metaph. c. 2. ubi sic ait: *Ens autem multipliciter quidem dicitur, verum ad unum, unamque quamdam naturam, & non equivocè, sed quemadmodum omne sanum ad sanitatem.* Eandem doctrinam repetit 7. Metaph. cap. 4. Ex quibus verbis sic fieri potest argumentum. Ex Arist. ens dicitur de multis, scilicet de substantia, accidenti, &c. sicut sanum de his, quæ de-

nominantur sana, scilicet animali, vrina, & medicina. Sed nomen *sanz* nō significat conceptū obiectivū vnicū, & præcisū ab animali, vrina, & medicina, sed potius significat immediatè hæc omnia, vt dicunt inter se aliquā proportionē, & habitudinē: ergo ex mēte Arist. idē dicendū erit de nomine entis, scilicet non significare cōceptum obiectivum vnicum, & præcisum à substantia, & accidenti; sed potius significare hæc omnia immediatè, vt dicunt inter se aliquam proportionem, & habitudinem.

7 Secundo (& est ratio à priori) nullus gradus verè communis, & præcisus potest esse transcendens, & formaliter inclusus in illis, à quibus præscindit: ergo nullū transcendens, & formaliter inclusum in modis intrinsicis, & in differentijs ultimis poterit esse gradus communis, & præcisus à prædictis modis intrinsicis, & ultimis differentijs. Sed ens est quid transcendens, & formaliter inclusum in modis intrinsicis, per quos contrahitur ad decem prædicamēta, & in differentijs ultimis: nequit ergo dicere conceptū obiectivum cōmunē, & præcisum à prædictis modis intrinsicis, & ultimis differentijs. Prima cōsequentia est manifesta per regulas conversionis, iuxta quas vniuersalis negativa convertitur simpliciter. Antecedēs verò probatur, quia impossibile est, quòd aliquid cōparetur ad aliud, vt pars ad partem, & quòd transcen-

dat, seu formaliter includatur in illo: aliàs inter ipsa esset impossibilis cōpositio; ad quam sicut necessaria est cōiunctio extremorū, ita & quòd extrema ipsa se invicē excludant. Sed gradus communis, & præcisus comparatur ad illa, à quibus præscindit, vt pars ad partem: cū illa, à quibus præscindit, sint modi intrinsici, seu differentie, per quas contrahitur, & simul cum illis componit inferiora: ergo impossibile erit, quòd gradus cōmunis, & præcisus sit transcendens, & formaliter inclusus in illis, à quibus præscindit.

8 Tertiò, ab analogatis, vt nomine cōmuni analogo significatur, non potest abstrahi vnicus cōceptus obiectivus, vt ex dictis disputat. præcedenti q. 1. constat. Sed ens dicitur analogicè de substantia, & accidenti, Deo, & creatura: ergo à substantia, & accidenti, Deo, & creatura, vt nomine cōmuni entis significatur, nequit abstrahi vnicus cōceptus obiectivus.

9 Quarto (& est ratio à posteriori) probans, non dari cōceptum obiectivum entis vnicum, & præcisum à Deo, & creaturis) nā inde sequeretur, aliquid esse prius, & simplicius Deo, & insuper in Deo dari compositionem Metaphysicam. Quæ omnia sunt absurda. Sequela, quoad duo priora patet; nam omnis conceptus præcisus, & abstractus habet se, sicut pars respectu suorum inferiorū, à quibus præscindit, & abstrahit; omnis autem

autem pars est prior, & simplicior suo toto. Quoad posterius verò convincitur; nam compositio Metaphysica dicitur illa, quæ versatur inter duos conceptus obiectivos, quorum vnus habet rationē contrahibilis, & alter rationē contrahentis; & in sententia, quæ admittit, dari conceptum obiectivū entis vnum, & præcisum à Deo, & creaturis, necessariū est fateri, talē conceptum se habere, vt quid contrahibile; conceptū verò modi intrinseci, per quem contraheretur ad esse Dei, habere rationem contrahentis.

IO His non obstantibus verior, & probabilior est opposita sententia, quā tenet Scot. multis in locis. Sed præcipuè in 1. d. 3. q. 2. §. *Ad questionē igitur*, & d. 8. q. 3. §. *Teneo opinionē meam*, quem secuntur omnes discipuli, & ex alijs Tabell. 4. Met. q. 1. Sot. in prædicamentis c. 4. q. 1. concl. 2. Zumel in 1. par. q. 13. ar. 1. Suar. 1. to. Met. disp. 2. sect. 2. Didac. à Iesu disp. 11. q. 5. Caberus tract. 4. dispat. 3. dub. 6. Hart. disp. 9. Logicali sect. 3. §. 26 & in Met. disp. 2. sect. 3. quæ probari potest efficacib⁹ rationibus. Prima (& qua vitur Subtilis Doctor) talis est. Intellectus certus de vno conceptu obiectivo, & dubius de diversis habet conceptū, de quo est certus, aliū à conceptibus, de quibus est dubius. Sed intellectus viatoris potest esse certus, quòd id, quod cōcipit, sit ens, & dubitare, an sit accidēs, vel sub-

stantia? an sit Deus, vel creatura? ergo datur in intellectu viatoris cōceptus obiectivus entis, alius, & cōsequenter præcisus à conceptu substantiæ, & accidētis, Dei, & creaturæ. Maior huius syllogismi est certissima; nā, cū certū, & dubiū sint cōtradictoriè opposita, implicat, quòd eidē rei simul, & secūdū eādē rationē cōveniant. Minor autē probari potest manifestis instantijs; nā de quātitate certi fuerunt plures Philosophi, quòd erat ens, & dubitabant, an esset substantia, vel accidēs; & de igne, vel sole plures Ethnici fuerunt certi, quòd essent entia, & dubitarunt, an essent Deus, an creatura?

II Nec obstat, quod Rub. Curf. Carmel. & alij respondent: distinguunt enim minorē; quia dupliciter, inquit, stat, quòd aliquis cōcipiat, aliquod esse ens nō cōceptis particularibus rationib⁹ substantiæ, & accidētis, Dei, & creaturæ. Primo, nō cōceptis explicite, & distincte, sicut cōcipitur ens. Secundo modo nō cōceptis implicite, & in cōfuso. In primo sensu minorē dicunt esse verā, sed falsam in secūdo. Hoc, inquit, nō obstat. Primo, quia distinctio ista nō est ad rē, nā argumentū Scoti non procedit de cognitione distincta, vt opponitur cōfusa: certū enim est, quòd intellectus viatoris cōcipiēs ens distincte cognoscit etiā inferiora illius, cōfuse: sed procedit de cognitione certa, vt opponitur cognitioni dubia: & de conceptu obiectivo prio-

prioris affirmat, debere esse alium à conceptibus obiectivis posteriorum. Quod absque implicatione negari nequit.

12 Secundò, quia Authores isti in sua distinctione admittunt, quod nos intendimus, scilicet dari conceptum obiectivum entis unicum, & præcisum à substantia, & accidenti, Deo, & creaturis. Pater, nam non alia ratione omnes fatentur, dari posse conceptum obiectivum animalis unicum, & præcisum à suis speciebus, scilicet ab homine, equo, &c. nisi quia nos cognoscere possumus rationem animalis distinctè, & explicitè, nõ cognoscendo explicitè, & distinctè, sed solum implicitè, & in cõfuso rationes suarum specierum. Sed hi fatentur, nos cognoscere posse rationem entis distinctè, & explicitè, non cognitit rationibus substantiæ, & accidentis, Dei, & creaturæ distinctè, & explicitè, sed solum implicitè, & in cõfuso: ergo sua distinctione fatentur, quod nos incedimus, scilicet, dari posse conceptum obiectivum entis, unicum, & præcisum à substantia, & accidenti, à Deo, & creaturis, non secus, ac potest dari conceptus obiectivus animalis unicus, & præcisus à suis speciebus.

13 Secunda ratio est. Cognitione præcisiva optimè potest quis cognoscere distinctè, & explicitè aliquid sine illis, que non sunt de essentia, & quidditate illius. Sed substantia, & accidens, Deus, &

creatura non sunt de essentia, & quidditate entis: ergo possumus cognitione præcisiva cognoscere rationem entis distinctè, & explicitè, non cognitit distinctè, & explicitè substantia, & accidenti, Deo, & creaturis. Sed hoc est abstrahere, & præscindere conceptum obiectivum entis à substantia, & accidenti, à Deo, & à creaturis: ergo &c. Maior est manifesta, & convinci potest instantia animalis, coloris, &c. Minor probatur, quia, si inferiora entis essent de essentia, & quidditate illius, cum quodlibet inferius ad ens essentialiter includat totam rationem entis, ipsa entis inferiora se mutuo essentialiter includerent, v.g. substantia accidens, & accidens substantiam, Deus creaturam, & creatura Deum. Quæ omnia sunt absurda.

14 Tertia ratio. A quacumque convenientia essentiali plurius potest abstrahi unicus conceptus obiectivus communis, & superior illis. Sed omnia inferiora entis essentialiter conveniunt in ratione entis; siquidem omnia essentialiter, & quidditative illud includunt, non secus, ac inferiora animalis essentialiter, & quidditative includunt ipsum animal: ergo ab omnibus inferioribus entis abstrahi potest conceptus obiectivus entis communis, & superior illis.

15 Et confirmatur: quia istæ prædicationes *substantia est ens, accidens est ens, Deus est ens,* sunt præ-

prædicationes superioris de inferioribus: ergo datur conceptus obiectivus entis vnicus, & præcisus, his omnibus cõmunis. Probo antecedens, nã ens est de intrinseco, & quidditativo cõceptu substantiæ, accidētis, & Dei; & insuper cū neutro convertitur; non enim valent istæ consequentiæ in sensu formali, *ens est Deus, ens est substantia, ens est accidens*, licet sint optimæ è contrario; quæ sunt conditiones requisitæ ad rationem superioris, & inferioris.

16 Quarta ratio desumpta est ex inconvenientibus. Primum (& quo usus est Scotus in 1. d. 3. q. 2. in fine, §. *Secundò non afferendo*) est, quia ex opposita sententia sequeretur, occludi viam ad probandum unitatem cõceptus obiectivi cuiuscumq; nominis. Patet sequela. Nam, sicut de ente dicunt adversarij, significare immediate plura, licet propter proportionem, vel proportionalitatem, quæ hæc plura dicunt inter se, ut significatur nomine entis videantur significare vnum commune his, ita ego dicerem, animal significare immediate plura, (puta hominem, equum, &c.) licet propter proportionem, vel proportionalitatem, quæ hæc plura dicunt inter se, ut significantur nomine animalis, videantur significare vnum commune ipsis.

17 Secundum (& quo etiam usus est Scot.) est, quia ex opposita sententia sequeretur, ens non posse esse mediũ in demonstratione, & con-

sequenter, neq; de ipso posse dari scientiã, neq; passiones demonstrari, neq; esset sufficiens subiectum ad contradictionem faciendam. Sequela patet, quia hæc omnia requirunt, quod ratio significata per nomen, circa quod versantur, sit unica; quod non cõringit in sententia contraria, quæ negat, ens significare vnum conceptum obiectivum præcisum à substantia, & accidenti, &c. Sed potius plures dicentes inter se proportionem, seu proportionalitatem.

18 Tertium (& quo cõmuniter utuntur Authores nostræ sententiæ) est, quia, si ens non significaret alium quem cõceptum obiectivum præcisum, & communem substantiæ, & accidenti, &c. nõ apparet, quo pacto in sensu formali verificari possent istæ propositiones, *substantia est ens, accidens est ens, &c.* Patet sequela; nã in dictis propositionibus ens, vel significaret immediate, & in recto substantiam, vel accidens, vel utrumq; simul? Si substantiã; hæc propositio esset falsa, *accidens est ens*, nam faceret hunc sensum, *accidens est substantia*. Si accidens, hæc propositio esset falsa *substantia est ens*, nam faceret hunc sensum, *substantia est accidens*. Si utrumque simul; vel coniunctim, vel disiunctim? & utroque modo propositiones essent falsæ, & repugnantes; nam repugnat, quod substantia, vel accidens sint, vnumquodque seorsum, hoc coniunctim *substantia, & accidens*, vel

hoc difiunctum *substantia*, vel *accidens*.

19 Respondet Cursus Carmel. ens non significare immediatè solam substantiam, nec solum accidens, sed vtrumque simul secundùm suas proprias rationes, sed nõ absolutè sumptas, vt exprimuntur nominibus substantiæ, & accidentis, (qua ratione videtur procedere, & habere vim argumentum) sed, vt proportionabiliter inter se sunt similes. Sed contra hoc est; quia hæc expositio non vitat, prædictas propositiones esse falsas. Quod est intentû per argumentum. Assumptum probo, nõ iuxta hanc expositionem propositiones istæ faciunt hunc sensum *substantia est ens*, id est, substantia est substantia, & accidens, vt proportionabiliter inter se sunt similes: *accidens est ens*, id est, accidens est accidens, & substantia, vt proportionabiliter inter se sunt similes. Pater sequela, nam secundùm istos Authores, hoc est significatum, quod immediatè, & in recto significat hoc nomen *ens*. Propositiones autem istæ manifestè falsæ sunt: nam in recto, neque substantia est accidens, neque accidens est substantia, non solum absolutè, sed neque, vt proportionabiliter sunt similia.

20 Quartum inconueniens est, quia sequeretur ex opposita sententia, quod audito nomine entis, aut quis nil cognosceret expliciter, aut quod cognosceret expliciter

tè pene infinitas res; quod est impossibile. Sequelâ probo. Quia, cû in sententia aduersariorû ens immediatè, & in recto non significet vnum conceptum comunè multis, sed omnia, quæ continentur sub ente, vt dicuntur proportionem, seu proportionabilitatè inter se, aut nil expliciter cognosceret quis audito nomine *ens*, aut conciperet omnia contenta sub ente, cum non sit maior ratio istius, quàm alterius, quæ numero sunt pene infinita.

20 Ad autoritatem Arist. in qua fundatur primum argumentum contrariæ sententiæ optime respondet Scotus in 4. d. 12. q. 1. lit. H. similitudinem non debere currere ad quatuor pedes; quia, (vt docet D. Damas,) quod in omnibus est simile, idem vtiq; erit, & non exemplum. Quare necesse est, (inquit Scot.) in exemplis cõsiderare simile, & dissimile. In proposito autem similitudo sani ad ens stat in hoc, quod sicut in vrina, & medicina est ordo essentialis ad animal in hoc, quod est dici *sanum*, ita & ordo essentialis est inter accidens, & substantiã in habenda entitate. Dissimilitudo verò (quæ est, ob quam ab animali, vrina, & medicina non potest abstrahi, seu præscindi vnus conceptus obiectivus significatus nomine *sanum*, benè tamen à substantia, & accidèti, vt significatur nomine entis) stat in hoc, quod ratio substantiæ significatã hoc nomine

sanum

sanum solum in animali est actu, & formaliter, in vrina vero, & medicina solum denominatione extrinseca. At ratio substantiæ significata nomine entis formaliter, & intrinsicè est in substantia, & accidenti.

22 Ad secundum argumentum nescio quid possint respondere Thomistæ, qui ex vna parte nobiscum fatètur, ens dicere conceptum obiectivum vnicum, & præcisum à substantia, & accidenti à Deo, & à creatura; & ex alia remittunt nobiscum sustinere, ens quid, id est, quod sic est præcisum, superius, & cõmune substantiæ, & accidenti, &c. nõ includi formaliter, & quidditative in modis intrinsicis, ultimis differentijs, &c. (Nec mirum, quod ad has angustias deducantur, qui speris aliorum principijs, volunt aliorum, & si verissimas, defendere conclusiones) Quodenim pro ipsis respondet Hurt. disp. 2. Met. in fine sectionis 3. scilicet, hanc præcisionem conceptus entis à substantia non esse adæquatam; & sic non mirum, quod ens præscindat à modo intrinseco substantiæ, & simul maneat in illo inclusum, non percipio. Nam, cum conceptus obiectivus entis sit simplicissimus necessario dicendum est, vel non præscindere à modo intrinseco substantiæ, vel si præscindit, præscindere adæquatè; nec posse villo modo in illo manere inclusum, nisi admittendo duo contradictoria, scilicet esse præ-

cisum, & non esse præcisum.

23 Nec magis intelligo, quod respondet Caberus, scilicet præcisionem istam nõ esse mutua; nam sicut intelligere non potuit Aristor. relationes diversitatis inter duo sine mutuitate; & ideo 5. Met. & cap. De ad aliquid, tex. 20. relationes primi generis dixit, necessariò debere esse mutuas; ita ego non intelligo, quo pacto relationes separationis vnus ab alio (quæ sunt etiam primi generis, & similes relationi distinctionis) possint esse non mutua; & quod vnum præscindat ab alio, si aliud etiam ab ipso non præscindit. Aut ergo dicant Authores isti, ens quid non includi formaliter, & quidditative in modis intrinsicis substantiæ, & accidentis, aut non affirmant, dari posse conceptum obiectivum entis vnicum, & præcisum à substantia, & accidenti.

24 In nostra verò sententia, quæ negat, ens quid includi formaliter, & quidditative in modis intrinsicis, differentijs ultimis, &c. nullam difficultatem habet prædictum argumentum; nam, concesso illo enthymemate, quod ponitur loco maioris, negamus eius minorem, scilicet, ens quid, quod est, quod nos præscindimus à substantia, & accidenti, à Deo, & creaturis, esse quid transcendens, & formaliter inclusum in modis intrinsicis, ultimis differentijs, &c. ut probatū est in questione præcedenti, & satis clarè convincit id,

quod adversarij adducunt in probatione antecedētis illius entymematis, quod positum est in suo argumento loco maioris.

25 Ad tertium concessa maiori negamus minorē, scilicet ens dici analogicē de substantia, & accidēti, &c. imō ex hoc principio, videlicet dari conceptum obiectivum entis unicum, præcisum à substantia, & accidenti, &c. (quod in hac quæstione demonstratū est) inferemus efficaciter cū Scoto q. seq. univocationem entis. Erat enim ab adversarijs prius probāda analogia entis, ut inde negaretur unitas, & præcisio huius conceptus; nam, (ut dixit Suar. loco citato) prius neganda est analogia entis, quā unitas; & præcisio conceptus obiectivi entis.

26 Ad quartum (quod desumebatur ex inconvenientibus, quæ sequerentur ex eo, quod daretur cōceptus obiectivus entis unicus, & præcisus à Deo, & à creaturis) respōdetur. Ad primum dicimus, ex eo, quod datur talis cōceptus, sequi quidem, dari aliquid prius Deo in subsidiēdi cōsequētia: quæ prioritas à nullo negari potest; cū rectē valeat, est Deus ergo est ens, & nō ē cōtra, est ens ergo est Deus, nō verò sequi, dari aliquid, quod sit prius Deo quoad existentiam; quia, etiam si prædictus cōceptus entis possit cōsiderari sine modis intrinsicis, per quos contrahitur ad esse Dei, & ad esse creaturarū, sed nō potest existere sine illis, ac

per consequens, neq; quoad existentiam esse prius ipso Deo.

27 Ad secundum respōdetur; ex prædicta unitate, & præcisione cōceptus obiectivi entis optimē sequi prædictū conceptū esse simpliciorē Deo simplicitate opposita resolutibilitati, (cū Deus resolvi possit in plures cōceptus obiectivos, quod repugnat prædicto cōceptui obiectivo entis) non verò sequi, prædictum conceptum esse simpliciorē Deo simplicitate opposita potentialitati, seu componibilitati; cum Deus sit purus actus expers omni cōponibilitate; conceptus verò iste sit in summa potentia, & cōponibilitate Metaphysica, quæ excogitari potest. Simplicitas autem, quæ est attributū Dei, non est simplicitas, quæ opponitur resolutibilitati, cū hæc potius sit imperfectio, & tādō aliquid sit imperfectius, quātō magis huius simplicitatis participat; sed simplicitas, quæ potentialitati, & componibilitati opponitur.

28 Ad tertium (quod, si quid probat, non solum probat, non dari conceptū entis præcisum, & abstractū à Deo, & creaturis; sed neq; conceptū substantiæ, neq; cōceptū viventis, &c. cū omnes isti conceptus sint cōceptus cōtrahibiles, & determinabiles per differentias) respondetur, in sententia Thomistarū, (qui cōpositionem Metaphysicā solū dicūt esse rationis) non esse cōtra simplicitatē, & actualitatē Dei cōcedere in Deo
com-

cōpositionē Metaphysicā, ex prædicatis superioribus, & differentijs, quibus talia prædicata superiora contrahuntur, resultantē: cum hæc nil aliud sit, quàm quædā denominatio extrinseca resultans in obiecto ex negotiatione intellectus idē dividētis, & cōponentis; quæ nullam imperfectionē in obiecto, sed in potentia intelligente præsupponit; imò communiter provenire solet ex perfectione obiecti, quā intellectus imperfectus vnicō actu non assequitur; ideoque prius concipit illud sub vna ratione, & postea sub alia; & denique utramq; coniungit, & vnit.

29 Tamen in sentētia Scotistarum, qui, sicut admittunt distinctionem ex natura rei inter prædicata superiora, & differentias, per quas cōtrahuntur, ita & cōpositionē Metaphysicā, dicunt, cōpetere rebus ex natura rei, & seclusa intellectu operatione, necessarium est, fateri cōpositionē Metaphysicā divinæ simplicitati repugnare. Vnde neganda erit sequela, scilicet sequi, dari in Deo cōpositionē Metaphysicā ex eo, quòd admittamus cōceptū obiectivū entis, aut cuiuscumque alterius prædicati communis, præcisum, & abstractum à Deo, & à creaturis.

30 Et ad probationē dicimus, ad cōpositionē ex natura rei Metaphysicā non sufficere, quòd datur duo cōceptus obiectivi per intellectū abstracti, seu præcisi, quorū vnus se habeat, vt cōtrahibilis,

& alius, vt cōtrahens; sed etiā per se necessarium esse, vt realitates, à quibus prædicti cōceptus desumuntur, seu abstrahuntur, nō sint idem omnimoda identitate reali, vt docuit Scot. in 1. d. 5. q. 2. vers. *Qualiter autem fiat* lit. M. & quolib. 5. lit. O. & tract. de Primo principio c. 4. in probatione primæ conclusionis, Rada to. 1. Controversiarū contr. 4. *Ad quantum argumētum principale*, & in secundo appendice in tertia observatione. Nā realitates, quæ sunt idem summa identitate reali, etiam si ex natura rei sint formaliter distinctæ, & insuper intellectus possit ab vno abstrahere cōceptum superiorē, & cōtrahibilem, & ab alia cōceptū differentiarum contrahentē, nequeunt inter se comparari, vt potentia, & actus; quæ sunt condiciones ad rationē cōpositionis per se in extremis requisitæ. Et quia realitates divinæ, à quibus desumuntur cōceptus obiectivi superiores, & cōtrahibiles, & cōceptus obiectivi quasi differentiales, & contrahentes, sunt inter se, etsi ex natura rei formaliter distinctæ, idem realiter summa identitate, realitates verò creatæ, à quibus, v. g. in homine, desumuntur cōceptus obiectivi superiores, & cōtrahibiles, & cōceptus obiectivi differentiales, & contrahentes, etsi sint idē realiter, nō tamē summa identitate, hinc fit, vt in Deo nō possit dari cōpositio Metaphysica ex natura rei, benè tamen in creaturis.

31 Sed inquires, in quo consistat ista summa identitas realis, ratione cuius à realitatibus divinis, ex quibus abstrahuntur, seu præscinduntur rationes obiectivæ, tam communes, & contrahibiles, quam differentiales, & contrahentes, secludimus rationem actus, & potentiæ Metaphysicæ, non verò à realitatibus creatis, ex quibus abstrahuntur, & præscinduntur rationes obiectivæ, tam communes, & contrahibiles, quam differentiales, & contrahentes? Respondetur cum Doctore Subtili loci citatis consistere in hoc, quòd prædictæ realitates secundum suas rationes formales consideratæ habeant idéntificationem realem, ita ut possit vna de altera in abstracto in sensu idéntico prædicari. Vnde, cum hoc contingat in realitatibus divinis, quæ ratione infinitatis, quam includunt, habent, ut, adhuc secundum suas formalitates consideratæ, sint idem realiter, & quòd in abstracto in sensu idéntico prædicentur; hinc est, ut prædictæ realitates habeant summam idéntitatem realem excludentem omnem potentialitatem, & consequenter omnem compositionem, etiam Metaphysicam. At, cum non contingat in realitatibus creatis, à quibus desumitur ratio generis, & differentiæ; nam etiam si sint idem realiter, sed hoc non competit eis secundum suas rationes formales consideratis, & ita in abstracto vna de altera non

prædicatur in sensu idéntico, sed solum inquantum in specie, quam componunt, adunantur: hinc est, ut prædictæ realitates non habeant summam idéntitatem realem excludentem omnem potentialitatem, & consequenter omnem compositionem, etiam Metaphysicam.

32 At dicet quis: realitas illa divina, à qua abstrahitur conceptus entis (& idem est iudicium de alijs realitatibus, ex quibus abstrahuntur conceptus communes Deo, & creaturis, scilicet substantiæ, viventis, &c.) secundum suam rationem formalem considerata non est finita, neque infinita: aliàs non posset abstrahi ab illa conceptus entis communis, & indifferens ad entia finita, & infinita. Sed ex Scoto, tam loci citatis, quam in 1. d. 8. qu. 4. §. *Ad argumenta*, infinitas est ratio summe idéntitatis realis, & ob quam possunt realitates in abstracto idénticè prædicari: ergo falso dicimus, entitatem illam divinam, ex qua abstrahitur conceptus obiectivus entis esse summam idéntitatem reali idem cum realitate, à qua sumitur, seu abstrahitur conceptus obiectivus, quasi differentialis.

33 Respondetur; nullam realitatem ad quidditatem Dei spectantem secundum suam rationem formalem, & quidditativam spectatam includere infinitatē: aliàs infinitas non essent modus intrinsecus divinæ naturæ, sed potius præ-

prædicatum eius quidditativum. Cuius oppositum docuit Scotus in 1. d. 3. q. 2. §. *Quarto dico*, & d. 8. quæst. 3. *Ad primum principale*, & d. 31. quæst. vnica §. *Quantum ad tertiam conditionem*, & quolib. 5. art. 1. vers. *Ex hoc ultra*. Et colligitur etiam ex eodem Scoto in 1. d. 2. q. 1. §. *Ad primam quæstionem*, & qu. 2. §. *Ex his ad quæstionem*, quatenus ait, infinitatem esse à priori demonstrabilem ab habente quidditativum Dei cōceptum; nam manifestum est, ea, quæ sunt de rei quidditate, non posse demonstrari à priori. Nihilominus omnem realitatem divinam absolutam includere infinitatem, tanquam modum intrinsecum illius: & primum ex his sufficit, ut intellectus viatoris concipere possit (licet conceptu inadæquato, & imperfecto) realitates, quæ sunt in Deo, solum secundum suas rationes quidditativas, & consequenter absque modo intrinseco infinitatis, & ab illis, ut sic cognitis, abstrahere, & præscindere conceptum obiectivum communem Deo, & creaturis, qui neque infinitus, neque finitus sit. Utimum verò solum est necessarium, ut prædictæ realitates sint idem summa identitate; & ita in abstracto vna de altera prædicetur.

QVÆSTIO III.

Vtrum ens univocè dicatur de substantia, & accidenti, de Deo, & creaturis?

I PRO intelligentia quæstionis advertendum est, quòd sicut in æquivocis distinximus duos gradus disputat. præcedenti q. 1. vnum eorum, in quibus ratio substantiæ per nomen commune significata ita est diversa in omnibus, ut nullam proportionem, aut proportionalitatem inter se dicant in quantum nomine communi significatur. Quæ propterea absolute nomen æquivocorū fortiantur. Et aliud eorum, in quibus ratio substantiæ nomine communi significata, ita est diversa, ut simul habeant aliquam proportionem, vel proportionalitatem, ut prædicto nomine communi significantur. Quæ propterea non absolute æquivoca, sed analogà dicuntur: ita modo dicimus, in univocis (quæ sunt immediate opposita æquivocorum) nos posse quatuor gradus univocorum distinguere.

1 Primus, & omnium perfectissimus, & qui ab aliquibus univocatio physica, & secundum esse solet appellari, est eorum, in quibus non solum ratio substantiæ nomine communi significata est eadem, (quæ est conditio ad univocationem Logicam, & secundum

dum intentionem simpliciter necessaria, & per quã univoca ista ab æquivocis, & cõsequenter ab analogis Logicis, & secundum intentionem distinguuntur) sed etiã modus essendi huius rationis substantiã in suis inferioribus est idẽ; nã in omnibus est dependenter, vel in omnibus independẽter, vel in omnibus est perfe, vel in omnibus est in alio. Et similiter est idẽ ordo essentialis, eò quòd non sit per prius in vno, quã in alio. Et deniq; est eadem perfectio essentialis; id est, ratio essentialis nomine cõmuni significata nõ est perfectiori modo in vno, quã in alio. Hunc gradũ perfectissimã, seu physicã univocationis solũ participant individua vnus speciei, vt nomine communi suã speciei significantur, v.g. Petrus, & Ioannes respectu hominis.

3 Secundus gradus univocationis est eorũ, in quibus tres priores conditiones reperiuntur, deficit tamen quarta; nam ratio substantiã nomine communi significata magis perfecta est in vno, quã in alio ratione differentiarum, per quas contrahitur ad ipsa. Hunc secundũ gradum univocationis participant species, vt significantur nomine communi generis, v.g. homo, & equus respectu animalis; albedo, & nigredo respectu coloris. Et propter hãc minorem univocationem, quam habent genera respectu specierum, ac habent species respectu suorum indivi-

duorum dixit Aristor. 7. Metaphys. in genere latere æquivocationes; & nos disputatione præcedenti quæstione 2. diximus, genus esse analogum respectu suarum specierum analogia physica, & secundum esse; quam Caleranus analogiam inæqualitatis appellavit.

4 Tertius gradus univocationis est eorum, in quibus duæ priores conditiones reperiuntur, deficit tamen quarta, & tertia; nam non solũ ratio substantiã nomine communi significata est magis perfecta in vno, quã in alio, sed etiam per prius est in vno, quã in alio. Hunc tertium gradũ univocationis participant species binarij, & species ternarij, vt nomine communi numeri significantur.

5 Quartus, & vltimus gradus univocationis est eorũ, in quibus prima cõditio (quam diximus esse ad univocationem Logicã, & secundum intentionẽ simpliciter requisitam) reperiatur; deficient tamen aliæ tres, nam non solũ ratio substantiã nomine communi significata est magis perfecta in vno, quã in alio; & per prius in vno, quã in alio, sed etiam habet diversum modum essendi in vno, quã in alio.

6 Cum igitur in hac quæstione inquirimus, vtrum ens sit univocum substantiã, & accidenti, Deo, & creaturis? non est sermo de univocatione in primo gradu, quia cer.

certum est, rationem substantiæ significatam nomine entis perfectiori modo esse in substantia, quàm in accidenti, & in Deo, quàm in creaturis. Neque de univocatione in secundo gradu; quia etiam est certum, hanc rationem substantiæ per prius esse in substantia, quàm in accidenti, & per prius esse in Deo, quàm in creaturis. Imò neque in tertio gradu, quia etiam est certum, hanc rationem substantiæ diverso modo esse in substantia, quàm in accidenti; cum in substantia sit per se, & in accidenti sit in alio: & similiter diverso modo esse in Deo, quàm in creaturis; nam in Deo habet esse à se, & infinitum; in creaturis autem habet esse ab alio, & finitum.

7 Et hæc est ratio, (vt obiter hoc advertatur, & auferatur contradictio, quæ videtur esse in Scoto) ob quam Scot. q. 6. univ. ad 4. & in ante prædicamentis q. 2. & 4. & in Elenc. q. 15. & 1. Physic. q. 7. & 4. Met. q. 1. docet, ens non esse univocum ad decem prædicamenta, sed potius esse æquivocum: (sumpto æquivoco latè pro æquivoco ab vno, seu ad vnum. Quia ratione idem est, quòd analogū) loquitur enim de univocatione requisita ad hoc, vt aliquid sit universale, & vnum ex quinque prædicabilibus, quæ, cum exposcat eundem modum essendi in inferioribus, & cōsequenter univocationem in tertio gradu, & hæc nō reperitur in ente, vel quocumque alio transcen-

denti, respectu decem prædicamentorum, merito negat, ens hoc pacto esse univocum ad decem prædicamenta, sed potius æquivocum, seu analogum, non obstante, quòd locis statim citandis esse univocum proclamet.

8 Est ergo sermo de univocatione in quarto, & imperfectissimo univocationis gradu, ita vt idem sit quærere, vtrum ens sit univocum substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis? ac inquirere, vtrum non solum nomen ens sit commune substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis? sed etiam ratio substantiæ per ipsum nomen ens significata sit eadem in eis, licet diverso modo existat in vno, quàm in alio, & per prius sit in vno, quàm in alio, & magis perfecta sit in vno, quàm in alio? Quem sensum, ne fieret contentio de nomine, consultò aperuit nobis Scotus in primo distinctione 3. quæstione 2. §. *Secundò non afferendo*, dum ait. *Et, ne fiat contentio de nomine univocationis, conceptum univocum dico, qui ita est vnus, quòd eius unitas sufficiat ad contradictionem affirmando, & negando ipsum de eodem.*

9 His suppositis circa propositam quæstionem sunt duæ celebres sententiæ. Prima est D. Tho. qui 1. p. q. 13. art. 5. & de potentia quæst. 7. art. 7. & de Veritate q. 2. artic. 11. & 1. contra gentes c. 32. & alibi sæpè negat, ens esse

vnivocum Deo, & creaturis. Et idem affirmat respectu substantiæ, & accidentis de Ente, & Essentia cap. 2. & super loca Aristot. quæ pro sententia affirmante, ens non dicere conceptum obiectivum univocum, & præscisum à substantia, & accidenti adduximus q. præcedenti n. 6. & infra nu. 10. pro hac sententia adducemus. D. Thom. secuntur omnes expositores, etiã illi, qui q. præcedenti num. 10. affirmabant, ens dicere conceptum obiectivum unicum, & præscisum à substantia, & accidenti, à Deo, & à creaturis. Quam sententiam probare nituntur autoritatibus, & rationibus.

10 Et, omiſſa autoritate ex 4. & 7. Metaph. quam q. præcedenti num. 6. adduxi ad probandum, non dari conceptum obiectivum entis unicum, & præscisum, quæ hæc etiam adduci solet ad probandum, ens non esse univocum; nam huic autoritati iam ex Scoto ibi num. 21. satisfacimus, adduci potest idem Aristot. in eodem 4. Metaph. tex. 2. ubi ait, Metaphysicam dici unam scientiam, nõ quia omnia illa, de quibus tractat, dicantur secundum unum, sed quia dicuntur ad unum, ac si diceret, non quis omnia entia, de quibus agit Metaphysica sint univocè unum ens, sed analogicè. Et 7. Metaph. tex. 15. dicit, *accidentia sunt entia, sicut Logici dicunt, non ens esse ens, & non scibile scibile, & sicut vas dicitur salubre.* Sed in omni-

bus istis exemplis non est univocatio eius, quod dicitur de pluribus: ergo neque entis. Et in 1. Physicorum, ubi arguens contra Parmenidem, qui affirmabat, omnia esse unum ens, sumit hoc principium, *ens multipliciter dicitur*, & inde colligit oppositum hoc pacto: ens multipliciter dicitur? ergo vel hoc unum ens, scilicet aqua, vel hoc unum ens, scilicet aer, &c. In his enim verbis Aristotel. duo possunt ponderari, quæ videntur facere contra univocationem entis. Primum illud principium, *ens multipliciter dicitur*; quod idem valet, ac ens dicitur æquivocè. Secundum est, Aristot. argumentum non habere vim, si supponatur, ens esse univocum, & dicens conceptum unicum communem omnibus entibus.

11 Ex rationibus verò quædam desumptæ sunt ex inconvenientibus, quædamque ex defectu conditionum, quæ ad rationem univoci requiruntur. Ex inconvenientibus probant, quia si ens esset univocum substantiæ, & accidenti Deo, & creaturis, sequeretur. Primum, ens posse denominari genus respectu substantiæ, & accidentis, &c. quod est contra Arist. 3. Metaph. tex. 10. Pater sequela; quia, cum ens prædiceretur in *quid* de substantia, accidenti, &c. nil videtur ei deficere ad rationem generis, nisi esse quid univocum. Secundò sequeretur, substantiam, & accidens, Deum, & creaturas nõ esse primò diver-

diversa; siquidem illa solum dicuntur primò diversa, quæ in nullo univocè conveniunt. Tertio sequeretur, posse ens explicitè poni in definitionibus suorum inferiorum. Quod est contra Aristot. 8. Metaph. tex. 16. Sequela patet, quia ex eodem Arist. 2. Topicor. c. 2. licet, in definitionibus explicitè collocare omnia prædicata superiora, in quibus definita possunt univocè resolvi; ut si quis definiens hominem dicat, esse substantiam corpoream viventem, sensibilem rationalem. Quarto sequeretur, accidens non posse defini per substantiam. Quod est contra Arist. 7. Metaph. cap. 1. Sequela patet, quia, quæ univocè conveniunt in aliqua ratione, conveniunt etiam in definitione illius, & consequenter nõ poterit unum per aliud defini.

12 Ex defectu verò conditionum, quæ ad univocationem entis requiruntur, primò argumentatur D. Tho. quando effectus non adæquat virtutem causæ, nomen utriusque commune non dicitur de eis univocè, sed analogicè, sed creaturæ sunt effectus Dei, qui nõ adæquant virtutem eius: ergo nomen ens, quod utrique est commune, non est, neque dicitur univocè de Deo, & creaturis. Maior patet; nam, quando effectus non adæquat virtutem causæ, non recipit similitudinem eius secundum eandem rationem; ergo neque poterit ratio substantiæ significa-

ta per nomen commune esse eadè in omnibus. Quod est conditio ad univocationem simpliciter necessaria.

13 Secundò argumentatur idè D. Tho. Illud est analogum, & non univocum, quod de vno ex inferioribus dicitur simpliciter, & de alijs secundum quid. Sed ens dicitur simpliciter de Deo, iuxta illud Exodi, 3. *Ego sum, qui sum;* & de creaturis solum secundum quid, iuxta illud Iaiæ 40. *Omnes gentes, quasi non sint, sic sunt coram eo.* Similiter ens creatum simpliciter dicitur de substantia, & de accidenti secundum quid, ut passim docet Arist. in Metaphysica: ergo ens in communi analogicè, & non univocè dicitur de Deo, & creaturis, de substantia, & accidenti.

14 Tertio argumentatur Caiet. de Ente, & Essentia cap. 2. nulum univocatum in ratione sui univoci habet aliquid plus, quam reliquum univocum. Substantia, & accidens sunt univocata in ente: ergo accidens non habet plus aliquid in ratione entis, quam substantia. Discursus (inquit Caiet.) est bonus; consequentia falsa: ergo etiam erit falsa altera præmissarum. Non maior; quia habetur ex antepredicamentis: ergo minor. Sed minor est conclusio Scoti: ergo falsum est, quod ens sit univocum substantiæ, & accidenti. Falsitas consequentis habetur 7. Metaph. tex. 2. & 3. ubi dicitur, quod

quòd in ratione accidentis, inquantum ens, ponitur substantia; & in ratione, & conceptu substantia, vt est ens, neque ponitur accidens, neque substantia; quia secundum Arist. & commentatorem conceptus substantia, vt est ens, abstrahit ab utroque, à substantia scilicet, & accidenti.

15 Quartò argumentatur Henrichus relatus ab Scotò in d. 8. q. 3. §. *Hic sunt. Quæ sunt totaliter, & immediatè sub extremis contradictionis, nil habent commune vnivocum. Sed Deus, & creaturæ sunt totaliter, & immediatè sub extremis contradictionis, scilicet sub dependere, & non dependere, sub causato, & non causato, sub esse ab alio, & non esse ab alio, &c.* ergo nil est Deo, & creaturis vnivocum. Et confirmatur; omnis conceptus communis vnivocus est neuter eorum, quibus est communis, & vnivocus. Sed nullus est conceptus neuter respectu contradictoriorum; quia necessariò est alter eorum: ergo Deo, & creaturis, quæ sunt sub contradictorijs, nil est commune vnivocum.

16 Secunda sententia verior, & à nobis tenenda oppositum affirmat, scilicet ens non dici analogice, sed vnivocè in quarto, & imperfectissimo vnivocationis gradu supra assignato, tam de substantia, & accidenti, quàm de Deo, & creaturis. Ita Scotus in 1. d. 3. q. 2. §. *Secundò non afferendo, & q. 3. §. Ad quæstionem igitur, & d. 8. q.*

3. §. *Teneo opinionem meam. Quem vnanimiter secuntur omnes discipuli, Licherus, & Tart. ibidem, Antonius Andreas. 4. Metaph. q. 2. Trombeta. q. 2. Rada 1. tom. cò trou. 2. Philippus Faber theoremate. 95. & ex Nominalibus eorù Principes Ocham, & Gabriel in 1. d. 2. quæst. 4. & Gregorius quæst. 8.*

17 Et in primis ens non esse analogum probatur. Primò, quia ab analogis non est abstrahibilis vnus conceptus obiectivus, vt probavimus disp. præced. q. 1. n. 13. Sed ens dicit conceptum obiecti vnicum, & præcisum à substantia, & accidenti, à Deo, & à creaturis, vt demonstratum est q. præced. ti n. 10. ergo ex dictis manifestè infertur, ens non esse analogum respectu substantia, & accidentis, Dei, & creaturum.

18 Secundò, quia si ens esset analogum substantia, & accidenti, &c. vel analogia proportionis, vel analogia proportionalitatis. (nam præter has nullam aliam dari speciem analogia ostendimus disp. præced. q. 2.) Sed non est analogum analogia proportionis; neque analogia proportionalitatis: ergo nullo modo est analogum. Probatur minor. Et in primis non esse analogum analogia proportionis sic ostendo. Ad analogiam proportionis, seu attributionis (ipsis etiam adversarijs cōsentientibus, vt videri est in Cursu Carmel. disp. 10. de analogia q. 4.

q. 4. à num. 30.) necessarium simpliciter est, vt ratio substantiæ nomine communi significata non sit intrinsicè in omnibus analogatis, sed solùm debet reperiri in præcipuo analogato intrinsicè, in alijs autem minus præcipuis denominatione extrinseca à ratione substantiæ intrinsicè existente in præcipuo analogato proveniente. Sed ratio substantiæ significata nomine communi entis intrinsicè est in Deo, & creaturis, substantia, & accidenti. Item, creaturæ comparatæ ad Deum nullo modo possunt denominari denominatione extrinseca entia ab entite, quæ intrinsicè est in Deo; aliàs denominaretur entia per essentiam; nam entitas, quæ intrinsicè est in Deo, entitas per essentiam est. Nec similiter accidentia comparata ad substantiam possunt denominari denominatione extrinseca entia ab entitate, quæ intrinsicè est in substantia; aliàs denominarentur entia per se, nam entitas, quæ intrinsicè est in substantia, est entitas per se. Nequit ergo ens de Deo, & creaturis, &c. analogia attributionis prædicari.

19. Denique, neque etiam posse esse analogum analogia proportionalitatis, probatur. Primò, quia, si aliqua esset proportionalitas inter accidens, & substantiã, aut inter Deum, & creaturas respectu entis, maxime, quæ solet assignari ab adversarijs, scilicet, quòd sicut se habet substantia ad

suum esse, ita se habet accidens ad suum esse, & sicut se habet Deus ad suum esse, ita creaturæ ad suum. Sed istæ non sunt proportionales veræ, & reales, sed solùm fictæ, & imaginariæ: ergo etiam proportionalitas, quæ ponitur inter istas proportionales, non erit vera, & realis proportionalitas, sed solùm ficta, & imaginaria. Minorem, in qua esse potest difficultas, fit ostendo. Proportio est relatio: ergo, vt sit vera, & realis, & non ficta, & imaginaria, requireret extrema realiter distincta: (nil enim distinguitur realiter à suo esse) ergo neque ipsæ proportionales erunt veræ, & reales, sed fictæ, & imaginariæ.

20. Secundò, quia dato, quòd istæ proportionales essent veræ, & reales, & consequenter esset vera, & realis hæc proportionalitas, quæ fingitur ab adversarijs, adhuc non infertur, ens dici analogicè analogia proportionalitatis de substantia, & accidenti, &c. Assumptum probo, nam ad analogiam proportionalitatis non sufficit, quòd inter aliqua sit proportionalitas, sed etiam requiritur, quòd ista significantur per nomen analogum, vt dicentia inter se istam proportionalitatem. Sed ens non significat Deum, & creaturas, &c. vt dicunt inter se prædictam proportionalitatem: ergo dato, quòd inter Deum, & creaturas, &c. esset prædicta proportionalitas, non esset concedendum, ens dici de
cis.

eis analogicè analogia proportionalitatis.

21 Tertiò, quia, si sufficeret ad hoc, vt ens diceretur de Deo, & creaturis, &c. analogicè analogia proportionalitatis, quod eodem modo se haberet accidens ad suum esse, ac substantia se habet ad suum, &c. sequeretur, nil posse in rerum natura excogitari, tam vnivocum, quod non posset etiam dici analogum analogia proportionalitatis. Patet sequela, nam de homine, & equo, vt significantur nomine communi animalis dicere possemus, esse analogam analogiam proportionalitatis; siquidem eodem modo se habet equus in participatione suæ animalitatis, sicut se habet homo in eiusdem animalitatis participatione. Imò idem possemus affirmare de Petro, & Ioanne, vt significantur nomine communi hominis; nam sicut se habet Petrus in participatione suæ humanitatis, ita etiam se habet Ioannes. Quæ omnia sunt absurda.

22 Quòd autem ens sit vnivocum in quarto, & imperfectissimo gradu (quod est altera pars nostræ sententiæ) probari potest; & est ratio à priori. Quia ad vnivocationem in hoc quarto, & imperfectissimo gradu solùm requiritur, quòd nomen sit commune, & ratio substantiæ, vt prædicto nomine communi significatur sit eadè in omnibus analogatis. Sed non solùm nomen ens est commu-

ne substantiæ, & accidenti, &c. sed etiam ratio substantiæ hoc nomine significata est eadem in omnibus; ergo nil deficit enti, vt sit vnivocum in hoc quarto gradu vnivocationis respectu substantiæ, & accidenti, &c. Discursus est optimus. Maior est Arist. in hoc cap. Minor infertur necessariò ex eo, quod expresso demonstravimus q. præcedenti, (& est totum fundamentum huius assertionis) scilicet, ens significare conceptum obiectivum vnivocum, & præscisum à substantia, & accidente, &c.

23 Hoc enim supposito principio, sic illam ostendo. Illa ratio substantiæ est eadem in omnibus eodem modo, qui necessarius est ad vnivocationem, quæ, vt significatur nomine communi, non includit actum principia distinguentia, etiam si illam includat in confuso, & quasi in potentia. Sed iste conceptus obiectivus vnicus, & præscisus est huiusmodi: ergo ratio significata nomine communi entis est eadem in Deo, & creaturis, &c. eo modo identitatis, qui est necessarius ad vnivocationem. Minor huius syllogismi est manifesta, alias prædictus conceptus obiectivus, nec esset vnicus, nec præscisus. Maior convinci potest instantia conceptus obiectivi, qui significatur nomine animalis, qui, etiam si confusè, & quasi in potentia contineat rationale, & irrationale, quæ sunt principia, per quæ distinguitur, dicitur nihilominus, vt signifi-

fica-

ficatur nomine cōmuni animalis, eadē ratio in sensu, qui requiritur ad univocationem, eō quōd a actu illa non includat.

24 Responderet Suarez, (qui cum nobiscum fateatur, ens dicere conceptum obiectivum univocū, & præscisum, maximē premittitur ratione ista) conceptum obiectivū entis univocū, & præscisum, et si actu non includat principia distinctentia, tamen ex se postulare descendere ad inferiora cum quadam inæqualitate, & subordinatione, non solum ex parte ipsorum inferiorum, sed etiam ex intimis visceribus; quod non habet conceptus obiectivus animalis.

25 Sed quis non videat, voluntariē hæc esse dicta, & solum ad fugiendam difficultatem excogitata. Inquiramus ergo ab hoc Authore, quid sit, conceptū obiectivum entis ex suis visceribus expostulare descendere ad inferiora cum quadam inæqualitate, & subordinatione, seu ratione cuius hoc illi conveniat? an quia actu includat principia distinctentia? an quia solum illa includat, quasi in potentia, & in confuso? nihil enim aliud excogitari potest. Sed per ipsum, qui ponit conceptum obiectivum entis univocū, & præscisum, non potest esse primum: ergo necessariō debet fateri esse secundum. Sed hoc etiā competit conceptui obiectivo animalis respectu rationalis, & irrationalis: ergo negare debet, conceptū obiectivū en-

tis univocū, & præscisum; (vt cōmuniter negant assertores analogie entis, cōtra quos q. præced. pugnatū est) vel nobiscū fateri tenetur, (vt consequenter loquatur) ens significare eadē rationem substantiæ in Deo, & in creaturis, &c. vt hoc nomine entis significantur; & consequenter de illis univocē prædicari in quarto, & imperfectissimo gradu univocationis; & non analogicē.

26 Restat, vt authoritatibus, & rationibus pro primā sententiā adductis respondeamus. Ad primam authoritatē ex 4. Met. optimē respondet Scot. d. 3. q. 3. citata lit. Q. in prædictis verbis solum negare Philosophum ab ente univocationem Physicā, & secundū esse. Cū quo optimē stat, habere univocationē Logicā, & secundū intentionē, seu abstractionem; id est, solum negare, ens habere aliquā naturā Physicā, & à parte rei existentem, in qua omnia, de quibus agit Metaphysica, cōveniāt, sed solum dari aliquā naturam Physicā, & à parte rei existentem, quæ sit præcipuū ens, & quasi mensura ceterorū; de quo primariō disputat Metaphysica, & de alijs per ordinē, & attributionē ad istud. Cū quo optimē stat, quōd ab his omnibus entibus, seu naturis possit aliquis conceptus obiectivus abstrahi, in quo omnes univocē conveniant.

37 Et hanc veritatē probat Scotus, quia ipsemet Aristot. 10. Metaph. concedit ordinem essentiali-

rialem inter species eiusdem generis physicè, & à parte rei consideratas. Nam admittit, in quolibet genere esse vnum primum, quod est mensura aliorum, & mensurata habent ordinem essentialem ad mensuram: & tamen non obstante hac physica attributione, seu analogia omnes concedunt vnum conceptum obiectivum generis abstractum à speciebus, prout sic, illis univocum. Et hoc pacto docet posse responderi ad omnes auctoritates Philosophi, quoties in Metaphysica, vel Physica negat, ens esse univocum substantiæ, & accidenti.

28. Ad secundam auctoritatem ex 7. Metaphys. respondet etiam ipse Scotus, quod ex §. ultimo illius materiæ habetur declaratio, & intellectus prædictarum auctoritatum. Querit enim ibi Philosophus, quorum sit definitio? & determinat, quod per se primum est substantiæ, & per se secundum est accidentis, scilicet quantitatis, qualitatis, &c. per accidens verò, & secundum quid entis per accidens, scilicet hominis albi. Et adducit rationem, quia tam substantia, quam accidens sunt per se entia, ut patet ex 5. Metaph. tex. 14. ubi ens per se dividitur in substantiam, & accidens; sed cum hoc discriminè, quod substantia est per se ens primum, accidens verò est per se ens secundum, quia pendet à substantia; at ens per accidens, neque primum, neque secundum. Ex hoc

enim patet, quo modo illæ auctoritates intelligantur: *accidentia non sunt entia*: intelliguntur enim, quia non sunt per se primum entia: & hoc modo, quod non est per se primum scibile, dicitur non scibile, licet sit per se secundum scibile. Notant enim auctoritates istæ attributionem, & ordinem accidentis ad substantiam in suo esse physico, & reali considerata. Sed cum hac analogia physica stat optime (ut ad primam auctoritatem dictum est) univocatio eorum in ente Logica, & secundum abstractionem unius conceptus obiectivi.

29. Ad tertiam autem ex 1. Physicorum optime etiam respondet Scotus negando, esse idem apud Arist. ens multipliciter dicitur, ac ens dicitur æquivocè, sed sumenda esse prædicta verba, ut sonant, scilicet, quod ens habeat sub se plura, de quibus prædicatur. Et ad secundam ponderationem respondetur, quod si Parmenides, & Melissus existimassent, omnia esse unum ens in communi, revera non concluderet aliquid contra ipsos argumentum Aristot. in hypothese, quod ens esset univocum, sed quia existimabant, omnia esse unum ens determinatè, puta, aquam, vel aerem, optime concludit contra ipsos argumentum Aristot. etiam in hypothese, quod ens univocè dicatur de suis inferioribus. Imò magis perfecte, quam in sententia, quæ docet, dici analogicè; quia analogum non potest

potest sumi, vt medium in demon-
stratione.

30 Ad primum ex inconve-
nientibus negamus sequelam, sci-
licet, quòd ens posset denominari
genus. Et ad probationem dici-
mus, ad rationem generis non suf-
ficere, quòd aliquid in *quid*, &
vniuocè prædicatur, sed etiam re-
quiri, quòd id, quod in *quid* de plu-
ribus vniuocè prædicatur, contra-
ctum sit ad ea per differentias, nõ
verò per modos intrinsecos illius;
qualiter contractum est ens ad
Deum, & ad creaturas, &c. Et ra-
tio huius doctrinæ est; quia (vt do-
cet Scotus ibi §. *Tenno opinionem
meam* lit. I.) ad rationem generis
necessarium est, vt sumatur à rea-
litatibus, quæ secundum se sint es-
sentialiter potèntiales respectu rea-
litarum, à quibus accipitur ratio
differentiæ. Sed realitates, à qui-
bus desumitur cõceptus obiecti-
uus entis communis, & vniuocus
Deo, & creaturæ, &c. nõ sunt quid
essentialiter potentiale respectu
realitarum, à quibus desumuntur
modi intrinseci, per quos contra-
hitur ens ad Deum, & creaturas,
&c. ergo, &c.

31 Maiorem probat Scotus.
Primò ex Aristoteli, qui 8. Meta-
phys. capite 5. docet, definitio-
nem (quæ est quid constans ge-
nere, & differentia) debere esse
orationem longam, id est, plura
includentem, quorum vnum res-
pectu alterius se habeat, sicut se
habet materia respectu formæ.

Secundò probat ratione; nam, si
conceptus, qui habet rationem
generis, sumeretur à realitatibus,
quæ respectu realitarum, à quibus
desumuntur conceptus differen-
tiales, non essent secundum se in
potentia essentiali, sed potiùs es-
sent actualiter includentes om-
nem essentialem perfectionem,
sequeretur, solùm genus comple-
tè definire speciem; quod est ab-
surdum. Sequela patet, quia in di-
cta hypotesi solùm genus esset cõ-
pletè tota quidditas speciei.

32 Et confirmatur, quia non
alia ratione excluditur à Deo ra-
tio generis, & differentiæ, non ve-
rò à creaturis, non obstante, quòd
in Deo sint, sicut & increaturis,
prædicata communia, & specia-
lia, nisi quia realitates illæ, à qui-
bus in Deo sumuntur prædicata
communia, non sunt in potentia
essentiali ob summam identitatè,
quam habent ratione infinitatis
(vt dixi quæst. præced. num. 20. &
& 31.) respectu realitarum, à qui-
bus sumuntur prædicata specialia,
sicut sunt in creaturis realitates, à
quibus sumuntur prædicata com-
munia, respectu realitarum, à qui-
bus sumuntur prædicata specia-
lia; ergo ad rationem generis per
se requisitum est, quòd realitates,
à quibus sumitur conceptus ob-
iectiuus generis, sint in potentia
essentiali respectu realitarum, à
quibus sumitur conceptus diffe-
rentialis.

33 Probatio verò minoris ex-
postu-

Bb

postu-

postulat, vt prius declaremus, in quo conveniant, & in quo differant modi intrinseci, & differentia. Hoc autem optimè declarat Scotus loco citato §. *Ad primum argumentum* sumpto exemplo intentionis, quæ est modus intrinsecus albedinis, & rationalitatis, quæ est differentia animalis. Conveniunt enim differentia, & modus intrinsecus in hoc, quod tam modus intrinsecus, quam differentia sunt extra quidditatem realitatis, cuius sunt modus, vel differentia: intensio enim non est de quidditate albedinis; aliàs diverse intensiones constituerent diversas essentialiter albedines; neque etiam rationalitas est de quidditate animalis; aliàs in quacumq; specie animalis esset essentialiter inclusa rationalitas.

34 Differunt verò in hoc, quod modus intrinsecus est quid intrinsecè perficiens realitatem, cuius est modus: (ideo enim intrinsecus appellatur) intensio enim intrinsecè perficit albedinem; neque potest albedo intendi, vel remitti, nisi per additionem, vel ablationem alicuius gradus, seu entitatis ipsi albedini intrinsecæ. At differentia habet rationem actus extrinsecè perficientis, seu perfectivi; licet enim animal per rationale perficiatur, sed non quoad intrinsecam entitatem suam.

35 Ex quo discrimine plura alia consequuntur. Primum est, non posse nos concipere realita-

tem sine suo modo intrinsecò, quin illam imperfectè concipiamus: qui enim concipit albedinè non concipiendo eius intensiōnem, imperfectè eam concipit. Secus contingit indifferètia; possumus enim concipere realitatem generis, verbi gratia, animalitatem, perfectissimo modo, etiam si illius differentiam, scilicet rationalitatem, non concipiamus.

36 Secundum est, conceptum obiectivū modi intrinseci non desumi à realitate distincta ab illa, à qua desumitur conceptus obiectivus rei, cuius est modus: ab eadem enim realitate, à qua imperfectè concepta sumitur cōceptus obiectivus albedinis, sumitur conceptus obiectivus intensiōnis illius per hoc solūm, quod perfectè eadē realitas concipiatur. Secus cōtingit in differentia; nam vt cōceptum obiectivum differentialem habeamus, per se necessarium est, vt distinctam realitatem ab illa, à qua desumptus est conceptus obiectivus generis concipiamus: siquidem, quantumcumq; perfectè realitas, à qua desumptus est cōceptus obiectivus animalis, cōcipiatur, nunquā poterimus habere cōceptum obiectivū rationalitatis:

37 Tertium est, quod modus intrinsecus additus rei, seu realitati, cuius est modus, non variat essentiam illius, nec aliam essentiam constituit, sed perficit intrinsecè essentiam priorem: intensio enim addita albedini non variat

variât eius essentiam, nec constituit aliam essentiam diversam ab illa, sed intrinsecè perficit prædictam essentiam albedinis.

38 Et quamvis aliquibus videatur, sub hac regula non esse comprehendendos modos intrinsecos, per quos ens contrahitur ad decem prædicamenta. Sed immeritò, nam sicut per intensionem additam albedini non variatur essentia albedinis nova alia resultando, sed essentia albedinis præexistens intrinsecè perficitur, ita per modum essendi per se, per quem ens contrahitur ad prædicamentum substantiæ, additum enti non variatur essentia entis, nova alia essentia resultando, sed essentia entis præexistens intrinsecè perficitur.

39 Nec refert, quòd substantia, & accidens communissimè sumpta differant prædicamento; nam differentia prædicamentalis, ut sic, etsi sit intrinseca, Inò tamen est essentialis; aliàs suprema genera differrèt essentialiter, & cõsequenter constarent genere, & differentia; quod eis repugnat; sed solum est modalis differentia; præsertim quia ens finitum ab infinito magis differt, quàm prædicamento, cum aliud ponatur in illo, & aliud non; & tamen nullus admittet inter ens finitum, & infinitum, ut sic, differentiam essentialem, sed modalem: aliàs linea finita, & infinita essent essentialiter diversa.

40 His ergo circa convenientiam, & discrimen, quæ inter differentias, & modos intrinsecos reperiuntur, prælibatis, manifestè deducitur veritas illius minoris, scilicet realitates illas, à quibus desumitur conceptus obiectivus entis communis, & univocus Deo, & creaturis, substantiæ, & accidenti, non esse in potentia essentiali respectu realitatum, à quibus desumuntur modi intrinseci, per quos contrahitur ens ad Deum, & creaturas, &c. (quod erat ad rationem generis requisitum) siquidem ad hanc potèntialitatem necessarium erat, quòd realitates, à quibus desumuntur prædicti modi intrinseci, non solum essent distinctæ à realitatibus, à quibus desumitur conceptus obiectivus entis communis, sed etiam, quòd additæ prædictis entitatibus illas essentialiter variarent constituendo novam essentiam; nam nil dicitur esse in potentia essentiali ad id, quod non est distinctum à se ipso; nec additum ipsi essentiam eius variat. Constat autem ex dictis, realitates, à quibus sumuntur modi intrinseci, neque esse distinctas à realitatibus, à quibus desumitur conceptus obiectivus entis; neque illis additas earum essentiam variare, sed solum eas intrinsecè perficere.

41 Ad secundum incõveniens respondetur, Deum, & creaturas, &c. soluisse primò diversa subiectivè nõ

verò obiectivè: id est, solùm esse primò diversa, inquantùm non possunt simul in eodem prædicamento collocari; non verò quia ab eis non possit abstrahi aliquis conceptus obiectivus transcendentalis.

42 Ad tertium negamus sequelam. Et ad probationem dicimus, ex Aristot. solùm licere in definitionibus collocare explicitè prædicata superiora, quæ habent rationem generis; non verò, quæ rationem generis non habet, ut est ens, & quodvis aliud transcendentalis. Et quòd hoc sit ad mentem Aristot. patet; nam loquitur de definitionibus quidditativis, quæ sunt illæ, quæ solùm constant generibus, & differentiis.

43 Ad quartum negamus sequelam. Et ad probationem dicimus, solùm probare, accidens, inquantùm ens, non posse definiri per substantiam, non verò inquantùm tale ens. Et hoc est, quòd docuit Arist.

44 Ad primam rationem ex adductis ex defectu conditionũ, quæ ad univocationem entis requiruntur, quæ erat D. Thomæ, respondetur, ex eo, quòd effectus non adæquet virtutem causæ solùm sequi, non posse dari nomen specificum commune, & univocum utrique; quia, (ut argumentum probat) si effectus non adæquat virtutem causæ, non recipit similitudinem eius secundum

eamdem rationem specificam. At benè potest assignari nomen genericum, vel transcendentalis utrique commune, & univocum. Quòd manifestum est in omnibus causis æquivocis, & earum effectibus: aurum enim licet non adæquet virtutem solis, & idè non detur nomen specificum utrique commune, & univocum, tamen genericum datur optimè; substantia enim, & similiter corpus inanimatum univocè de sole, & de auro prædicantur.

45 Ad secundam (quæ erat etiam D. Tho.) respondetur, dupliciter posse intelligi, quòd aliquid dicatur de vno *simpliciter*, & de alio *secundum quid*. Primò, quia ratio substantiæ per ipsum significata est in vno formaliter, & intrinsecè, in alio verò solùm denominatione extrinseca, ut contingit in hoc nomine *sanum* respectu animalis, & *virum*. Secundò, quia etiam si ratio substantiæ per ipsum significata sit formaliter in utroque, est tamen in vno perfectiùs, & primariò, quàm in alio. Si *simpliciter*, & *secundum quid* sumantur primo modo vera est maior, sed falsa est minor, ut capite isto disputatione 2. quæstione 2. numero 3. probatum est. Si verò *simpliciter*, & *secundum quid* sumantur secundo modo, vera est minor, ut probant testimonia scripturæ, sed falsa est maior.

46 Ad tertiam, quæ erat Caiet. nega-

negamus consequentia sui discursus esse falsam. Ad probationem dicimus, quod in 7. Metaphys. textu 2. habetur, quod in definitione accidentis ponitur substantia: sed hoc dicit Aristor. de definitione accidentis, ut accidens est, non verò, ut accidens est ens. Et hoc ipsi Thomistę debent concedere; cum ex hoc loco desumant argumentum ad probandum inhaerentiam aptitudinalem esse de essentia accidentis.

47 Ad quartam (quę erat Henrici) responder Scotus, quod Henricus in minori, vel intelligit, quod creatura, & Deus sunt præcisè illa extrema contradictionis, vel quod sunt, quibus conveniunt prædictę contradictiones. Si loquitur in primo sensu minor est falsa: nam Deus non est præcisè hæc negatio, scilicet, non esse ab alio, neque creatura ista, non necesse esse. Si verò loquitur in secundo sensu, minor est vera, sed maior falsa; quę erat hæc; *Illæ, quibus conveniunt extrema*

contradictionis, non univocantur in aliquo; nam omnia per se dividentia aliquod commune, sunt talia, & tamen univocantur in ipso diviso.

48 Ad confirmationem respondetur, dupliciter posse intelligi conceptum communem esse neutrum respectu eorum, quibus est communis. Vno modo formaliter; & hoc pacto vera est maior, sed falsa minor; scilicet nullum conceptum esse neutrum respectu contradictoriorum, si conceptus non actu existens, sed in potentia ad existendum consideretur. Alio modo potest intelligi, quod sit neuter prædicativè, id est, quod non prædicetur de particularibus contradictorijs; & sic est falsum; nam animal, etsi formaliter sit neutrum suorum inferiorum, tamen benè prædicatur de rationali, & de irrationali, etiam si rationale, & irrationale sint contradictoriè opposita.

CAPVT SECVNDVM

DE DIVISIONE EORVM,

quæ dicuntur, & sunt.

TEXTVS. *Eorum, quæ dicuntur, alia cum complexione; alia sine complexione dicuntur, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN TENTVM Aristot. in hoc capite est, tradere duas divisiones. Primam eorum, quæ dicuntur; secundam eorum, quæ sunt. Divisio eorum, quæ dicuntur, talis est. Eorum, quæ dicuntur, quædam cum complexione dicuntur, vt homo albus, quædam sine complexione, vt homo, animal; &c. Divisio eorum, quæ sunt, quædam de subiecto dicun-

tur, & in subiecto non sunt, vt substantiæ vniuersales; alia in subiecto sunt, & de subiecto non dicuntur; vt accidentia singularia; alia de subiecto dicuntur, & in subiecto sunt, vt accidentia communia. Alia denique sunt, quæ neque sunt in subiecto, neque de subiecto dicuntur, vt singulares substantiæ. Et hæc in litera huius capituli.

ANNOTATIONES

circa literam:


CIRCA primam divisionem, per quam dividit Aristot. ea, quæ dicuntur, incomplexa, & incomplexa, annotandum est. Nominales existimare, esse divisionem vocis, & non rei, eo quod dici conveniat vocibus, & com-

plexio non conveniat rebus. Imò ex hoc loco colligunt, Aristot. in prædicamentis principaliter agere de vocibus, de rebus verò minus principaliter. Sed communis, & vera sententia docet, esse divisionem rei, vt significatur per vocem; quia in prædicamen-

mentis, ad quæ hæc capita sunt præambula, Aristor. principaliter agit de rebus, de vocibus autem solum, pro ut res, de quibus principaliter agit, vocibus significantur. Neque obstat, quod vocibus conveniat dici, nam etiam, & principaliter convenit rebus: res enim sunt, quæ dicuntur, id est, quæ appellantur, significantur, & manifestantur vocibus. Neque verum est, res non esse complexas, nam, si albedo non haberet complexionem cum homine, falso complexè de homine radicaretur.

2 Circa secundam divisionem, per quam ea, quæ sunt dividit Aristor. in ea, quæ de subiecto dicuntur, & in subiecto non sunt, &c. advertendum est, per *dici de*

subiecto intelligere Aristor. prædicari quidditative in recta linea; & per *esse in subiecto*, accidentaliter inherere. Ex his patet, quo pacto verum sit, substantias universales non esse in subiecto, etiam si includantur in individuis, de quibus prædicantur: & similiter, quo pacto accidentia singularia non dicantur de subiecto, etiam si in concreto prædicentur de subiecto, in quo inhzrent: nam universales substantiæ, etsi sint in individuis, sed non sunt per inhzrentiam, sed per essentialem inclusionem: & singularia accidentia, etiam si prædicentur in concreto de subiecto, in quo inhzrent, sed non quidditative, sed denominative, & accidentaliter.



Bb 4 CA

CAPVT TERTIVM

DE REGVLIS PRAEDICA-
torum essentialium.

TEXTVS. Cum quippiam de quopiam praedicatur, et de subiecto, ea, quae de praedicato dicuntur, dicuntur etiam de subiecto, &c.

RECOPILATIO TEXTVS.

IN TENTVM Aristotelis in hoc capite est tradere duas regulas maxime utiles ad singula praedicamenta ordinanda. Prima regula est: Quando aliquod praedicatur de aliquo, tanquam de subiecto, quae dicuntur de praedicato, necesse est praedicari de subiecto; verbi gratia, quia homo praedicatur de Ioan-

ne, tanquam de subiecto, animal, quod praedicatur de homine, praedicabitur etiam de Ioanne. Secunda regula, Diversorum generum, & non subalternarum positorum, diverse sunt species, seu essentialia differentia, ut animalis, & scientiae. Si vero subalternarum ponantur, non prohibet habere easdem differentias, ut patet in animali, & viventi. Haec in litera.

A N N O T A T I O N E S

circa literam.

CIRCA primam regulam nota, in quolibet praedicamento duplicem esse seriem praedicatorum: quaedam in *quid*, ut sunt genera, & species, quae ponuntur in *recta linea*: quaedam vero in *quale quid*, ut sunt diffe-

rentia, quae ponuntur ad *latus*, in super praeter hanc duplicem praedicatorum seriem, quae sunt, ex quibus constat, & fit praedicamentum, sunt etiam alia duo genera praedicatorum; quaedam, quae licet per se, neque in *recta linea*, neque ad *latus* in praedicamento.

mento collocantur, ponuntur tamen reductivè. Et huius generis sunt passiones. Quædam verò, quæ nullo modo ponuntur in prædicamento subiecti, sed pertinent ad aliud prædicamentum: huius generis sunt omnia accidentia respectu substantiæ.

2 His suppositis dico primò. Prima regula tradita ab Aristot. in hoc capite, vera est in omnibus generibus prædicatorum, dummodò non varietur suppositio. Patet, nam, sicut benè valet, *Petrus est homo: homo est animal: ergo Petrus est animal*; etiam optimè valet: *Petrus est homo: homo est rationalis: ergo Petrus est rationalis*. Item, *Petrus est homo: homo est risibilis: ergo Petrus est risibilis*. Et demum, *Petrus est albus: album est coloratum: ergo Petrus est coloratus*. Et dixi, si non varietur suppositio, nam, si varietur, deficiet regula, ut constat in his prædicationibus. *Petrus est homo: homo est species: ergo Petrus est species: homo est animal: animal est irrationale: ergo Petrus est irrationale*.

3 Dico secundò. Aristoteles tradens istam regulam solùm est locutus de primo genere prædicatorum, scilicet de prædicatis in quid, quæ ponuntur in recta linea. Patet primò, quia (ut in annotationibus præcedentis capitis dicebamus) iuxta phrasim

Aristotelis idem est dici de subiecto, ac prædicari quiddativè in recta linea. Secundò, quia intentum Aristotel. in tradenda ista regula (ut notavit Ammonius) fuit dare nobis notitiam profunditatis prædicamenti, quæ consistit in progressu prædicationis à summo genere usque ad individua; sicuti & in tradenda secunda regula eius intentum fuit dare nobis notitiam latitudinis prædicamenti, quæ in discessu ad latera consistit, qui fit per differentias, quibus genera dividuntur.

4 Circa secundam regulam nota primò, dupliciter posse duo genera diversa dici subalterna: vel quia vnum ponitur sub alio in recta linea, ut animal, & vivens, vel quia ambo sunt sub aliquo tertio genere, verbi gratia, corpus, & spiritus sub substantia. Et similiter per oppositum dupliciter possunt duo diversa genere non esse subalterna: vel quia vnum non est sub alio, etiam si verumque sit sub tertio, ut sunt corpus, & spiritus: vel quia neque vnum sub alio, neque ambo sub tertio sunt, ut animal, & scientia.

5 Secundò annotandum est, differentias esse in duplici differentia: nam aliæ sunt superiores, ut corporeum respectu animalis. Aliæ inferiores, ut rationale respectu eiusdem animalis. Et simili-

liter alia sunt constitutiva, vt sensibile respectu animalis; & alia diuisiva, vt rationale, & irrationale respectu eiusdem animalis.

6^o His suppositis dico primò. Quando in secunda regula Arist. dicit, *Diuerforum generum, & non subalternatim positorum diuersa sunt differentia*, per genera non subalternatim posita intelligit illa, quæ neque vnum sub alio, neque ambo sub tertio collocantur. Vnde regula ab ipso tradita verissima est, & de omni differentia, tam superiori, quàm inferiori, tam constitutiva, quàm diuisiva intelligenda. Et quòd hæc sit mens Aristot. patet exemplis ab ipso adductis: posuit enim pro exemplis animal, & scientiam, quæ, cum diuersorum prædicamentorum sint genera, neque vnum sub alio, neque ambo sub tertio collocantur. Quòd verò prædicta regula sit in vniuersum vera, & de omni differentia intelligenda patet; nam, si genera suprema sunt diuersa, quæcumque sub illis contenta à fortiori erunt diuersa, & consequenter repugnabit, easdem differentias essentiales in duobus prædicamentis collocari. Quare, cum in diuersis prædicamentis eadem nomina pro differentijs ponuntur, id fit, quia sunt differentia accidentales, vt cum, tam substantia, quàm quantitas diuiduntur in vniuersales, & particulares; vel

quia ignoramus proprias, & loco illarum constituimus alias, vt quando tam substantia, quàm actio diuiditur in naturalem, & supernaturalem.

7 Dico secundò. Quando Aristot. in eadem regula dicit, quòd *subalternorum generum nil prohibet, easdem esse differentias*, pro generibus subalternatis non solum intelligit illa, quorum vnum est sub alio, sed præcipue intelligit illa, quæ, etiam si vnum non est sub alio, ambo tamen sunt sub tertio. Vnde merito non dixit absolutè habere easdem differentias, sed nil prohibet habere easdem differentias. Et ratio est, quia, etiam si genera, quæ dicuntur subalterna, quia vnum est sub alio, semper habeant differentiam superiorum generum, non solum constitutivam, sed etiam aliquam ex diuisivis communem, vt videri est in animali, & viventi, in quibus non solum est communis differentia corporis, sed etiam diuisiva corporis, scilicet, animatum. Tamen in generibus, quæ dicuntur subalternata, quia ambo sunt sub tertio, licet differentia constitutiva illius tertij generis sit illis communis; non tamen semper illis est communis differentia diuisiva illius generis communis, sed aliquando. Propter hoc dixi, notanter dixisse Arist. nil prohibet, habere easdem differentias.


Et

8 Et quidem, huiusmodi genera aliquando non habere differentiam divisivam generis superioris communem, patet in corpore, & spiritu; quibus nulla ex differentijs divisivis substantiæ, quæ est tertium genus superius, in quo subalternantur, est communis. Et idem potest alijs pluribus exemplis probari.

9 Quod verò huiusmodi genera aliquando habeant differentiam divisivam generis supremi, in quo conveniunt, communem, patet in quantitate continua, & discreta, quæ dicuntur subalternata, quia in quantitate in communi, tanquam in tertio, conveniunt; & tamen non solum est illis communis differentia consti-

tutiva quantitatis, sed etiam divisiva, scilicet successiva, & permanens. Et similiter patet exemplo, quo utitur Aristot. 6. Topic. cap. 2. loco 4r. de gressibili, & volatili; quæ sunt species, quæ subalternantur in animali, tanquam in tertio; & non solum est illis communis differentia constitutiva animalis, sed etiam divisiva, scilicet bipedalis.

10 Neque ex hoc sequitur, aliquam speciem esse sub diversis generibus non subalternatis; (ut aliqui immeritò cõtendunt) nam, cum de quidditate speciei non solum sit differentia communis, sed etiam specialis, cum hæc semper sit diversa, erit similiter & diversa species.



CAPVT QVARTVM

DE DIVISIONE, INCOMPLE-

XORVM IN DECEM PRÆDICA-
MENTA.

TEXTVS. *Eorum, quæ nulla complexione dicuntur, singula, aut substantiam significant, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

CONTENTVM Aristotelis in hoc capite est tradere numerum prædicamentorum. Dividitur in duas partes. In prima dividit ens incomplem in decem prædicamenta. In secunda docet, & probat, incompleta, ex quibus constât prædicamenta, nõ esse affirmationes, vel negationes, sed ex ipsis fieri posse affirmationes, vel negationes.

Accedendo ad primam partem, ens (inquit Aristot.) incomplem, siue simplex, aliud est *substantia*, vt homo; aliud *quantum*, vt linea; aliud *ad aliquid*, vt duplum; aliud *quale*, vt album; aliud *ubi*, vt esse in foro; aliud *quando*, vt heri, aut hodie; aliud *situs*, vt iacere: aliud *habere*, vt vestitum esse; aliud *agere*, vt vrere; aliud *pati*, vt vri.

Sed hæc simplicia (inquit Aristot. in secunda parte) secundum

se considerata non sunt affirmationes, vel negationes, quamvis ex eis, si aliquod verbum addatur, fieri possint. Quod inde probat: omnis affirmatio, vel negatio est vera, vel falsa; sed nihil eorum, quæ secundum nullam complexionem dicuntur, est verum, vel falsum: ergo nil eorum, quæ hac divisione continentur, est affirmatio, vel negatio. Quod si eis adiungas verbum aliquod (inquit Aristot.) affirmationes, aut negationes efficies; vt si homini, & albo adiungas verbum, *est*, resultabit hæc affirmatio *homo est albus*; quæ verum, vel falsum significat.

Et hæc in littera.

ANNOTATIONES

circa literam.

CIRCA hanc divisionem annotandum est, esse subdivisionem illius, qua Aristot. in 2. cap. divisit ens in complexum, & in incomplexum; & insuper coincidere cum illa secunda, qua in eodem capite ea, quæ sunt, dividit Aristot. in quædam, quæ dicuntur de subiecto, & non sunt in subiecto, &c. solum enim differunt, quod hæc clarior, & ex-

tenrior est, quam illa.

2. Secundò nota, quòd, etiam si aliqua prædicamenta nominibus complexis explicentur ab Aristot. verbi gratia, *habere*, quod explicat per vestitum esse, & *ubi*, quod explicat per esse in foro, nõ ideo existimandum est, res, quæ ponuntur in prædicamentis, esse complexas, sed simplices. Quia hoc fecit Aristot. inopia nominum simplicium.

DISPUTATIO VNICA.

Circa hoc caput de decem prædicamentis in generali.

ANTEQUAM ad explicandum singula prædicamenta in speciali accedamus, opus est, vt aliqua, quæ communia sunt omnibus prædicamentis, explicemus. Primum est; *Vtrum divisio entis incomplexi in decem prædicamenta tradita ab Aristot. in hoc capite sit exacta?* Secundum; *Quæ sint illa, quæ ponuntur in prædicantis, & quæ sunt, quæ rejciuntur?* Tertium; *Qua ratione sit necessarium, vt prædicamenta, siue res, quæ ponuntur in diversis prædicamentis, distinguantur?*

QVÆSTIO PRIMA.

Vtrum divisio entis incomplexi in decem predicamenta tradita ab Aristot. sit exacta?

QVAMVIS circa numerum predicamentorum variè senserint antiqui Philosophi; nā Plato (vt refert Arist. 3. Met. c. 3.) vnicum tantum predicamentum entis assignavit; & Xenocrates, & Andronicus duo; vnum substantiæ, & alterum accidentis; & Pythagorici viginti; decem bonorū, & decem malorum: (vt refert Arist. 1. Me. c. 5.) nihilominus cōmunis, & receptissima sentētia est apud Peripateticos, quam tradit Arist. in hoc cap. scilicet decem tantum, nec plura, nec pauciora esse prædicamenta.

2 Sed quamvis omnes Peripatetici conveniant in prædicta cōclusionē; non tamen cōveniunt in reddēda ratione, cur tantum sint decem prædicamenta. Imò Suarez 2. tomo Met. disp. 39. sect. 2. n. 17. existimare esse, verū id, quod alii referunt, dixisse Auicēnā, scilicet non posse ratione propria, & a priori demonstrari, tantum esse decem prædicamēta, nec plura, nec pauciora; quia sicut de subiecto scientiæ non potest in illa scientia demonstrari, an sit? sed id, vt certū supponēdum est; ita etiā metaphisicus (inquit hic autor) non de-

monstrat, decē esse genera entium; sed id vt certū præsupponit. Quod etiam indicavit Scotus. q. 1. 1. super prædicamenta, dū §. *Ad questionem* nullam assignat rationē, cur prædicamenta sint tantum decem, sed dicit, Logicum id sufficienter scire; quia ita est.

3 Ex rationibus autem, quæ a posteriori, & ex effectibus quos experimur, adduci solēt huius sufficientiæ prima est quorundā Authorū, qui distinguentes prædicamenta accidentiū ex diverso modo prædicandi de substantiā, dicūt, decē esse prædicamēta; quia præter prædicamentū substantiæ experimur, novē modis posse accidens de substantiā prædicari; & vnusquisque modus prædicandi suū cōstituit prædicamentū. Quorū fundamentum ad distinguendum prædicamenta accidentium ex diverso modo prædicandi de substantiā est; quia Logicus non agit de prædicamentis, neque de rebus in ipsis contentis, nisi vt substantiæ secundæ intētionī prædicandi; ergo neq; debet prædicamēta accidentiū distinguere, nisi inquātum diversas secundas intētionēs prædicandi de substantiā participant.

4 Sed hæc sentētia meritō rejicitur

citur à Scoto loco cit. & à recentioribus. Et ratio cōtra ipsam est manifesta; quia, cū accidentia nō habeāt diversum essentialiter modū prædicandi de substantia, (aliās essent novem prædicabilia accidentium, & non tantum vnum) si verū esset, prædicamenta accidentium distingui penēs diversum modum prædicandi de substantia, tantum esset vnicum prædicamentum accidentis, quia (vt inquit Scot. loco citato) omnes secundæ intentiones prædicabilitatis de substantia, à quibus omnia genera accidentium denominantur, vnius sunt generis; imò vnius sunt speciei infimæ, & solum numero differentiæ.

5 Neque fundamentum horum Authorum aliquid valet; quis, et si verum sit, Logicum agere de prædicamentis accidentium, seu de rebus in ipsis contentis, vt sub sunt secundæ intentioni prædicabilitatis, & subijcibilitatis; non tamen inde infertur, prædicamenta accidentium distingui ex diversis modis prædicandi; quia dividere ens in decem prædicamenta non est Logici; sed Metaphysici instituti, qui non de istis secundis intentionibus prædicabilitatis, sed de naturis ipsis rebus, quæ prædicantur, agit.

6 Quare mihi magis placet communis sententia, quæ ad probandum, sufficientem, & exactam esse hanc divisionem entis in decem prædicamenta, quàm hinc tradidit Aristot. rationem, desumit

ex diverso modo realiter afficiendi subiectum, quem experimur in accidentibus. Ex hoc enim principio optimè deducitur, tantum esse decem prædicamenta; quia præter substantiæ prædicamentum (quod omnes fatentur esse vnum) tantum possunt excogitari novem modi afficiendi realiter accidēs subiectum. Et quamvis à diversis diversimodè ex hoc principio sufficientia huius divisionis declaretur, placet mihi præ omnibus modis explicandi hanc sufficientiam Francisci Maiorionis Scoti insignis discipuli; quia & conformis est doctrinæ Scoti, & ex his, qui à posteriori de sumi possunt, exactissimus videtur: qui talis est.

7 Accidens reale, aut afficit substantiam absolute, aut respectivè? Si absolute, vel ratione materiæ, & sic est *quantitas*; vel ratione formæ, & sic est *qualitas*. Si respectivè, vel est respectus intrinsecus adveniēns, vel adveniēns extrinsecus? Si intrinsecus adveniēns, erit *relatio*, quæ est tertium prædicamentum. Si est respectus extrinsecus adveniēns, aut pertinet ad causalitatem, aut ad mensuram, aut ad ordinem? Si ad causalitatem, vel activè, & sic est *actio*; vel passivè, & sic est *passio*. Si ad mensuram, vel est mensura quantitatis permanentis, & sic est *vbi*; vel est mensura quantitatis successivæ, & sic est *quando*. Si ad ordinem, vel ad

ad ordinem partium, & sic est *situs*, vel ad ordinem totius, & sic est *habitus*. Sed præter hos novem modos afficiendi realiter subiectum nullus alius excogitari potest in accidenti: sunt ergo prædicamenta tantum decem, novem accidentium, & vnum substantiæ.

8. Verum est, hunc modum probandi hanc sufficientiam supponere, vt veram divisionem relationis in extrinsecus, & intrinsecus advenientem; & insuper sex vltima prædicamenta consistere formaliter in his relationibus; que non admittuntur ab omnibus. Sed hoc nil inter est, quia à nobis admittuntur, & à Scoto, & ab omnibus esse admittenda suis locis demonstrabimus.

QVÆSTIO II.

De his, que ponuntur, & rejiciuntur in prædicamentis?

1. **V**T explicemus, quæ sint ea, quæ ponuntur, & rejiciuntur à prædicamentis, opuse est, vt prius, quid sit prædicamentum, explicemus. Prædicamentum igitur (vt ex præmio huius libri constat) nil aliud est, quam prædicabilem, & subiectionem essentialiter ordinatio, id est, coordinatio secundum prædicationem, & subiectionem essentialem, & quidditativam naturarum superiorum, & inferiorum.

2. Ex his manifestè patet, prædicamentum esse nomen concretum pro materiali dicens naturas superiores, & inferiores, & pro formali ordinem prædicabilitatis, & subiectionis essentialis harum naturarum inter se. Cum igitur in præsentis inquirimus, quid ponatur in prædicamentis, & quid excludatur? sermo non est de prædicamentis pro formali; quia, vtsic, manifestum est, solum poni relationes rationis prædicabilitatis, & subiectionis. Sed est sermo de prædicamentis pro materiali; & sic sensus quæstionis est; quæ sint naturæ superiores, & inferiores, quæ secundum rationem prædicabilis, & subiectionis essentialiter, in prædicamentis ordinari possint.

3. Et, vt in hac re certa ab incertis separemus, primò certum est, ea, quæ in istis decem prædicamentis collocantur, debere esse entia realia, & non rationis. Quia ens, quod Aristot. divisit in hæc decem prædicamenta, tam hoc capite, quam 5. Metaphys. cap. 7. tex. 14. est ens reale: ergo solum entibus realibus, & non rationis debent hæc decem prædicamenta constare. Et dico notanter *hæc decem prædicamenta*, nam posse dari prædicamentum notionale constans entibus rationis docet Scotus quæst. 11. prædicamentali; & colligitur ex dictis super 1. cap. Porphyrij disputat. 3. quæst. 3. num. 20.

4 Secundò certum est, in prædicamentis non collocari naturas æquivocas, vel analogas, sed solum univocas. Et ratio est; quia prædicamentum (vt dictum est) est naturarum superiorum, & inferiorum secundùm rationem prædicabilis, & subijcibilis essentialiter coordinatio. Sed à naturis æquivocis, vel analogis (vt ex dictis c. 1. disp. 1. q. 1. n. 13. & 14. cõstat) non potest abstrahi aliqua natura superior, quæ essentialiter, & quidditativè de ipsis prædicetur, & cui ipsæ essentialiter, & quidditativè subijciantur: ergo neque poterit etiam ex naturis æquivocis, vel analogis confici prædicamentum; ac per consequens, neque in prædicamento poterunt collocari.

5 Tertiò certum est, in his prædicamentis non collocari cõplexa, quæ res diversas perse significant, vt homo albus. Quod, præterquam, quòd expressè docuit Aristot. in hoc capite, manifestum est, nam à complexis, cum per se duo significant, ita repugnabit, abstrahi vna natura superior, quæ de ipsis quidditativè prædicetur, & cui ipsa complexa etiam quidditativè subijciantur, ac repugnat, abstrahi ab æquivocis, vel analogis. Et confirmatur, nam complexa includunt res diversorum prædicamentorum. Sed est implicatio, quòd res diversorum prædicamentorum in vno prædicamento collocentur: ergo etiam implicabit, quòd collocentur cõplexa.

6 Quartò certum est, entia simpliciter infinita, vt sunt Deus, & eius attributa, non posse in prædicamento collocari. Ita Scotus in 1. distinct. 8. quæst. 3. §. *Teneo opinionem meam.* Et ratio est; quia ad hoc, vt aliquid in prædicamento collocetur, non sufficit, vt ab ipso abstrahi possint per nostrum intellectum conceptus obiectivi pluribus cõmunes, & univoci; sed etiam per se requiritur, quòd prædicti conceptus obiectivi communes possint denominari genera. Conceptus autem obiectivi, qui per nostrum intellectum abstrahi possunt à Deo communes, & univoci ipsi, & creaturis, vt sunt conceptus entis, substantiæ, viventis, &c. non possunt genus denominari, quia (vt c. 1. disp. 2. q. 3. n. 31. probatum est) ad rationè generis necessarium est, vt realitas, à qua abstrahitur conceptus obiectivus communis, & univocus, qui debet genus denominari, sit in potentia respectu realitatis, à qua abstrahitur conceptus obiectivus differentialis; & ex dictis in eadem disput. quæst. 2. num. 31. nulla realitas simpliciter infinita potest esse in potentia respectu alterius, quæ secum est identificabilis, cum sint idem summa identitate reali.

7 His ergo, vt certis præsuppositis, quòd primò vertitur in dubiù est, vtrum nomina complexa, quæ unicam tantùm rem significant, vt sunt definitiones quidditivæ, verbi gratia, *animal rationale*

ponantur in prædicamentis; Et rationes dubitandi pro parte affirmativa sunt. Prima, quia Porphyr. cap. de Specie in prædicamento substantiæ loco generis viventis posuit eius quidditativam definitionem, scilicet corpus animatū; & pro quodam genere, in quo existimabat, convenire hominem, & Angelos, & corpora coelestia, posuit eius definitionem, scilicet animal rationale. Secunda, quia, cum definitio, & definitum idem significant, non apparet, cur ubicumque ponitur definitum, loco ipsius non possit poni eius definitio. Sed in prædicamento collocantur species; ergo etiã loco ipsarū poterūt poni earū quidditativæ definitiones.

8 Sed verius existimo id, quod cōmaniter defendunt recētiōres, scilicet nomina cōplexa vnā rem significantia, vt sunt definitiones quidditativæ, nō posse in prædicamentis collocari. Probatur ex Arist. qui hoc cap. absolute, & sine aliqua exceptione complexa à prædicamentis reijcit. Sic enim ait; *eorum, quæ nulla cōplexione dicuntur, singula autem substantiã.* &c.

9 Nec valet, si respondeas, Arist. in prædictis verbis solūm exclusisse omnē cōplexionem secundū rem, non verò cōplexionem secundū nomen. Nam contra hoc est, quod definitiones quidditativæ nō solūm sunt cōplexæ secundū nomen, sed etiã secundū rem, cum dicant plures formalitates ex natura rei distinctas.

10 Et ratio à priori est, quia in prædicamentis solū collocantur per se in recta linea illa, à quibus abstrahi potest vnica ratio cōmunis superior, quæ respectu illorū denominari possit gen^{us}, vel species. Sed à duabus formalitatibus generis, & differentiæ, quæ sunt, ex quibus cōstat definitio quidditativa, secundū se spectatis nō potest abstrahi vnica ratio cōmunis superior: (nā, vt ex dictis c. i. disp. 2. q. 1. n. 17. cōstat, differentiæ secundū se, & formaliter consideratæ, qua ratione dicuntur vltimæ, sunt formalitates simpliciter simplices, & primò diversæ) ergo formalitates generis, & differentiæ secundū se consideratæ per se in recta linea prædicamentali collocari nequebunt, & consequenter, neque definitiones, in quibus hæ formalitates secundū se, & explicitè cōcipiuntur.

11 Neque rationes dubitandi multū urgent; nam ad Porphyr. optime respondet Rubius, posuisse *corpus animatum* loco viventis explicitationis gratia, & *animal rationale* loco illius generis à se facti, quia verbum, quo denominaretur simplex illud genus, non agnovit. Ad rationem verò dicimus, quod etiam si definitū, & definitio in se idem significēt, sed modus significandi est diversus, cum vnū significet explicitè, & cōsequenter cōplexè id, quod aliud significat implicitè, & consequenter incomplexè; & hoc sufficere ad hoc, vt definitum in prædicamento collocetur,

etetur, secus verò definitio.

12. Secundum, quod vertitur in dubium, est, an entia partialia constituantur in prædicamentis? Pro quo est advertendum, entia partialia esse in duplici differentia, nam quædam sunt Metaphysica, ut genus, & differentia; quædam verò Physica: quæ subdistingui solent in partes essentielles, ut materia, & forma, corpus, & anima: & in integrales; quæ adhuc sunt in duplici differentia, nam quædam sunt eiusdem rationis, ut partes aquæ; (quæ propterea homogeneæ solent appellari) quædam verò diversæ rationis, ut sunt manus, caput, &c. quæ propterea eterogeneæ nuncupantur.

13. Rursus advertendum est, tripliciter posse aliquid in prædicamento collocari. Primò directè in recta linea, ut in prædicamento substantiæ collocantur homo, animal, vivens, &c. Secundò indirectè, seu ad latus: qua ratione in eodem substantiæ prædicamento collocantur corporeum, & incorporeum, rationale, & irrationale, &c. Tertiò reductivè, id est, non ratione sui, sed ratione alterius, ad cuius essentiam, & integritatè pertinet. Qua ratione passionibus dicuntur poni in prædicamento subiecti, cuius sunt passionibus.

14. His suppositis, si sermo sit de partibus Metaphysicis, ut sunt genus, & differentia, conveniunt omnes, genera collocari in recta linea prædicamentali per se. Et ra-

tio est manifesta; nam genera directè subijciuntur in prædicatione essentiali generibus superioribus: & similiter de inferioribus speciebus directè etiam prædicatur prædicatione essentiali.

15. Si verò sermo sit de differentijs, Ammonius in capite de Substantia sustinet, eodem pacto debere poni in prædicamentis, ac genera, neque quantum ad hoc posse, esse inter genus, & differentiam aliquod discrimen. Cuius fundamentum est; quia vel differentia excluduntur à recta linea prædicamentali, quia conceptus simpliciter simplices sunt, vel quia incompleti? Sed utraque ratio currit in generibus: ergo vel genera debent excludi à recta linea prædicamentali: (quod est contra prædicta) vel differentia debent etiam, sicut & genera in recta linea prædicamentali collocari.

16. Communis tamen, & vera sententia tenet, differentias collocari quidem per se in prædicamentis, sed non in recta linea, sicut genera, & species, sed ad latus. Et ratio est, quia, cum prædicamentum (ut dictum est) sit prædicabile, & subijcibile in prædicatione essentiali coordinatio, illa solum dicuntur poni in recta linea, quæ in prædicatione essentiali directè subijciuntur prædicatis superioribus, & directè prædicantur de speciebus, & individuis, quæ in recta linea prædicamentali collo-

canr. Sed differentia formaliter, & vt differentia sunt, non subiiciuntur in prædicatione essentiali prædicatis superioribus; quia (vt supra dictum est) neque genera suprema, neque differentia suprema essentialiter de differentiis inferioribus prædicantur, formaliter, & vt differentia sunt, consideratis; neque etiam ratione sui prædicantur de speciebus, & individuis inferioribus, quæ ponuntur in recta linea directæ, & vt totum potentiale; sed hoc competit illis ratione speciei, quam constituunt: nequeunt ergo differentia collocari per se in recta linea prædicamentali, sicut collocantur genera.

17. Vnde ad rationem Ammonij respondetur, differentias à recta linea prædicamentali excludi, non quia entia simplicia, & in completa sunt; sed quia, cum non prædicentur omnino in *in quid*, sicut genera, & species, sed in *quale quid*, inter ipsas, & alia prædicata essentialia non est propriè series, seu subordinatio superioris, & inferioris; siquidem respectu gradus generici non sunt propriè inferiores, cum non includant illum; & respectu gradus specifici non sunt superiores, sed æquales, cum sint constitutivæ eius.

18. Si verò sermo sit de partibus Physicis, tam essentialibus, quam integralibus, tam homogeneis, quam eterogeneis, Loba-

nienfes capite de Substantia, & aliqui recentiores existimant, poni in recta linea prædicamentali, non seorsus, ac entia Physica completa. Fundamentum eorum est; quia, sicut ab entibus completis Physicis abstrahere possumus prædicata essentialia, & Metaphysica superiora, & inferiora, ex quibus componimus, & efficimus prædicamentum, ita etiam ab entibus incompletis Physicis, verbi gratia, ab anima, quæ est pars Physica, & essentialis hominis, abstrahere possumus rationem animæ, quæ respectu huius, & illius animæ erit prædicatum essentialiale superius, & habens rationem speciei, & à ratione animæ in communi possumus abstrahere rationem spiritus, quæ est prædicatum superius habens rationem generis. Et rursus à ratione spiritus in communi possumus abstrahere rationem substantiæ, quæ est prædicatum superius habens rationem generis supremi, & generalissimi. Et idem possumus exemplificare in materia, in capite, in pede, & in cæteris partibus Physicis.

19. Communis tamen, & vera sententia (quam tenet Scot. q. 15. prædicamentorum) affirmat oppositum, scilicet partes Physicas essentielles, & ex integralibus eterogeneas non pertinere per se ad prædicamenta Arist. sed solum reductivè, in quantum sunt partes entis completi Physici, quod in prædicamentis per se collocatur.

Et

Et ratio est; quia prædicamenta, de quibus loquimur, solum constant ex prædicatis metaphysicis, quæ genera, & species completa denominari possunt. Sed prædicata metaphysica, quæ à partibus physiceis prædictis abstrahi possunt, non possunt denominari genera, & species completa: ergo neq; per se in prædicamentis, de quibus loquimur, collocari.

20 Vnde ad rationem in contrarium respódetur, ex eo, quòd à partibus physiceis possint abstrahi prædicata essentialia, & metaphysica superiora, & inferiora, sequi quidem, ex partibus physiceis nos efficere posse aliquod prædicamentum; non tamen prædicamentum completum, & perfectum, sicut sunt decem prædicamenta Arist. quia (vt dictum est) prædicata essentialia, & metaphysica, quæ à partibus physiceis abstrahi possunt, non possunt denominari genera, & species completa, ac per consequens neque eiusdem rationis, ac sunt, quæ abstrahuntur ab entibus physiceis completis.

21 Solum advertendum est pro complemento huius difficultatis, prædictam sententiã non esse intelligendam de partibus physiceis integralibus homogeneis. (vt immeritò contendit Rubius) Et ratio est, quia, sicut his partibus nil obstat ratio partis ad hoc, vt participant prædicata superiora; & inferiora eiusdem rationis cū toto; ita neque obstat ratio partis

ad hoc, vt ponatur per se in prædicamentis Arist. sicut & ponitur totum, cuius sunt partes.

22 Tertium, quod vertitur in dubium est, an individua ponantur in recta linea prædicamentali? N. Tabellus in sua Logica titulo 5. capite 1. tenet partem negativam. Quod probat ex Porphyrio, qui cap. de specie enumerans terminos, quibus clauditur prædicamentum, dicit, esse supremum genus, & infimam speciem. Sed verior sententia tenet oppositum. Et ratio est; quia, cum individuum in recta linea prædicamentali essentialiter subiiciatur omnibus prædicatis prædicamenti; (Petrus enim & est homo, & animal, & vivens, &c.) nihil ei deest ad hoc, vt in recta linea prædicamentali, vt basis, & fundamentum totius prædicamenti collocetur.

23 Ad Porphyrium respondeatur, possuisse pro terminis prædicamenti supremum genus, & infimam speciem, quia eius intentum erat numerare solum prædicata essentialia, & quæ denominari possunt universalia prædicamenti. Neque obstat, quod aliqui dicunt, scilicet, prædicamentum esse prædicabilem ordinationem, & quòd individuum non est prædicabile. Respondetur enim, non solum prædicabilem, sed etiam subiubilem esse prædicamentum coordinationem; & manifestum est, individuum esse subiubile.

24 Quartum, & vltimum, quod veretur in dubium, est, an res sint ponendæ in prædicamentis sub nominibus abstractis, an verò sub nominibus concretis? Et quidè, si de prædicamento substantiæ sermo sit, cõueniunt omnes, in eo solum collocari concreta, & non abstracta. Vnde Porphyr. c. de Specie ordinans prædicamentũ substantiæ, nõ ex nominibus abstractis, scilicet ex animalitate, humanitate, &c. illud ordinavit, sed ex concretis, scilicet ex homine, animali, &c. Et ratio manifesta est; quia prædicamenta sũt ex naturis, quæ denominari possunt genera, & species. Sed abstracta prædicamenti substantiæ nõ possunt denominari genera, & species; quia, cũ sint abstracta vltima abstractione, non sunt totum potentiale respectu suorum inferiorum, neq; possunt consequenter de ipsis prædicatione formali prædicari: ergo in prædicamento substantiæ nõ possunt poni abstracta, sed concreta.

25 Si verò sermo sit de prædicamentis accidentium, maior est difficultas, nam Nimphus 5. Metaph. q. 3. & 7. Tolet. q. 2. antepreædicamentorum, Marcia disp. vnica de natura prædicamenti, q. 2. & aliqui ex recetioribus existimant, in prædicamentis accidentiũ res debere collocari, nominibus concretis, non verò nominibus abstractis. Et probant: primò ex Arist. qui cap. presentij prædicamenta accidentiũ in concreto enumeravit

iuxta translationem Boetij. Et idè fecit lib. 1. Topic. c. 7. & lib. 4. c. 1. loco 4. Secundò probant; quia in prædicamentis non collocantur entia incompleta, sed completa. Sed accidentia in abstracto sunt entia incompleta, cum sint principium formale concretorum: ergo accidentia in abstracto non collocantur in prædicamentis. Tertiò; quia (vt ex dictis q. præced. patet) accidentia cõstituũt diversa prædicamenta ex diverso modo efficiendi realiter substantiam. Sed non efficiunt substantiam in abstracto, sed in concreto: ergo, vt sic, debent in prædicamentis collocari.

26 Sed verior, & probabilior sententiã tenet oppositum, scilicet abstracta, & non concreta accidentia collocari in prædicamentis accidentiũ. Ita Scot. q. 5. vnivers. & q. 1. 1. prædicam. D. Th. de Ente & Essentia. c. 7. & cõmuniter Authores. Et probari potest: primò ex Arist. qui 3. Topic. c. 1. loco 3. & 4. dicit, iustitiam esse in genere, (hoc est, prædicamento) nõ iustũ; & cap. de Quantitate, & similiter cap. de Qualitate enumerans species, quæ in his prædicamentis collocantur, illas in abstracto enumeravit dicens, species quantitatis continuæ sunt linea, superficies, corpus, &c. & similiter species qualitatis sunt scientia, egritudo, &c.

27 Secundò probat aliqui hanc sententiã hoc argumento. In prædicamentis solum collocantur entia

tia

ria per se; sed concreta accidentalia sunt entia per accidens, cū res diversorum prædicamentorū includant: ergo concreta accidentalialia non collocantur in prædicamentis. Sed hoc argumentum nihil valet; quia (vt dixi capite de Genere disputat. vnica quæst. 1. n. 4.) concreta accidentalialia sunt entia per se. Nec obstat, quòd res diversorum prædicamentorum includant, nam licet plura includant, non tamen significant vtrumquē per se, sed vnum per se, & aliud ex connotato.

28 Ratio igitur efficax ad hoc probandum est, quā adducit Scotus q. 11. cit. quæ talis est. In prædicamentis solūm collocantur natura, quæ denominari possunt genera, & species. Sed accidentia in cōcreto, v.g. album, coloratū, &c. non possunt denominari genera, vel species, sed hoc cōpetit accidentibus in abstracto, v.g. albedini, colori, &c. ergo accidentia in cōcreto nō collocantur in prædicamentis, sed in abstracto. Minorē probō sic. Illa solūm denominari possunt genera, & species, quæ significant naturam per modum per se stantis, & nō per modum alteri adiacentis. Sed concreta accidentalialia significant naturam per modum alteri adiacentis, & abstracta per modum per se stantis: ergo concreta accidentalialia nō possunt denominari genera, & species, sed hoc solūm convenit accidentibus abstractis.

29 Ad authoritatem Arist. in contrariū adductam respōdetur, quòd, si in hoc cap. secundū translationem Boetij Arist. enumeravit prædicamenta accidentiam in cōcreto, nil obstat, quia secundū translationem Argiropoli, enumeravit illa in abstracto. Quòd si in Topicis secundū vtrāq; translationem enumerata sunt hæc prædicamenta in concreto, nil etiā obstat; quia ibi nō est locutus Arist. de rebus, quæ in prædicamentis collocantur, vt genera, & species sunt, siue, quod idem est, vt ponuntur in prædicamentis, sed vt sunt quædam affectiones substantiar. Quo pacto manifestum est, non posse aliter, quā in concreto numerari.

30 Ad primā rationē negamus, accidentia abstracta media abstractione, v.g. albedinē, colorē, &c. esse entia incompleta intra sphæram accidentis; cum, vt sic, non sint abstracta à proprijs individujs, seu inferioribus, & sic respectu illorum sint totum potētiale: quòd si respectu huius concreti albi, verbi gratia, albedo est principium formale, hoc non est, quia intra sphæram accidentis sit ens incompletum, sed quia omnia accidentia sunt entia imperfecta, & sic, quantumvis completa sint, nō habent existere per se, sed dicunt aptitudinem ad inhærendum in substantia, & consequenter ad cōponendum vnum concretum accidentiale.

31 Ad secundam responderetur, quòd, etiam si sufficientia prædicamentorum colligatur ex diverso modo afficiendi accidens subiectum, tamen accidentia omnia, quæ ad vnum prædicamentum pertinent, quia eodẽ modo afficiunt substantiam, non conficiunt prædicamentum, neq; in illo coordinantur, inquantum afficiunt substantiam, sed inquantum vnum de altero essentialiter prædicatur, & vnum alteri essentialiter subiicitur. Constat autem, vnum accidens essentialiter non prædicari, aut subiici alteri, nisi in abstracto, vt si dicamus, albedo est color, color est qualitas, &c.

QVÆSTIO III.

Quaratione debeant distinguere res, quæ in diversis prædicamentis collocantur?

Aliqui Scotistæ existimant, nõ posse eandem rem, etiã secundum diversas rationes formales, ad diversa prædicamenta spectare. Probant: primò, quia ex Arist. 5. & 10. Met. prædicamenta sunt primò diversa, saltem subiectivè, (vt c. 1. disp. 2. q. 3. n. 41. exposuimus) id est, in re non convenientia. Secundo probant; quia ea, quæ ponuntur in diversis prædicamentis, debent esse essentialiter distincta. Sed omnis distinctio essentialis est distinctio realis; ergo ea, quæ ponuntur in diversis prædicamentis, debent esse realiter distincta. Tertio, quia quæ solum formaliter distinguun-

tur, sunt entia incòpleta; sed entia incòpleta non ponuntur per se in prædicamento, (vt ex qu. præced. n. 12. patet) sed reducuntur ad prædicamentum entis completi, cuius sunt formalitates: ergo distinctio formalis non sufficit ad hoc, vt aliqua in diversis prædicamentis collocentur.

2 Sed quamvis ferè semper cõtingat, ea, quæ ponuntur in diversis prædicamentis, non solum formaliter, sed etiã realiter distinguere, & facta comparatione inter prædicamentum substantiæ ex vna parte, & prædicamenta accidentalia ex alia, hoc reputem simpliciter necessarium, eò quòd accidentia in suo esse pendeant realiter in genere cause materialis à substantia, & impossibile est, quòd idem realiter pendeat à se ipso. Tamen existimo ad rationem formalem prædicamentorum non exigi necessarium, quòd ea, quæ in diversis prædicamentis ponuntur, sint realiter, tanquam res à re, distincta; sed sufficere distinctionem ex natura rei formalem, quam Scotistæ aeternalem appellamus; Thomistæ verò solum virtuale, seu fundamentalem.

3 Hæc est meo videri expressa sententia Scoti, nõ solum in q. 10. prædicamentali, vbi querens, quæ distinctio sit necessaria inter ea, quæ in diversis prædicamentis collocantur? solum exposulat distinctionem in specie, & genere, non verò distinctionem numericam; inò potius dicit, cum idèritate numerica

rica accidētali, quæ optimè comparitur cū distinctione specifica, & generica, posse optimè aliquid ad duo prædicamenta spectare. Sed etiam in 2. d. 1. q. 5. vbi postquã statuisse, relationes, sine quibus non potest esse fundamentum, (vt sunt dependentiæ creaturarū ad Deum) non esse realiter distinctas à prædicto fundamento, & cōtra hoc sibi obiecit in hunc modum. Ex Arist. 5. & 10. Met. prædicamenta sunt primò diversa. Sed relationes dependentiæ, quam dicit omnis creatura, est alterius prædicamenti ab ipsa creatura, quæ est eius fundamentum; cū relatio dependentiæ ponatur in prædicamēto relationis, creatura verò, quæ est eius fundamentum, spectet, vel ad prædicamentum substantiæ, vel quantitatis, aut qualitatis, &c. ergo non potest esse idē realiter prædicta relatio cum suo fundamento: respōdendo ad hoc argumentum §. *Ad argumenta*, vers. *Ad secundum*, ponit hæc verba. *Ad secundum, etsi negari possit de relativis, vel eorum, quæ sunt in diversis generibus* (scilicet quòd sint realiter distincta) *quia tunc dicerentur esse primò diversa, quantum scilicet ad rationes formales eorum, ita quòd nullum illorū formaliter includat alterum, nec aliquid alterius; sed per identitatem in existendo unum cōtineat alterū: potest tamen dici consequenter ad aliã dictã, quòd huiusmodi relatio est transcendens, &c.*

4 In quibus verbis ponderandum est, quòd, etiam si Scot. existimet, relationes dependentiæ, quã dicit omnis creatura ad Deum, non esse prædicamentalem, sed transcendentalem; & per hoc optimè solvat argumentum, quo nitebatur, prædictam relationem esse prædicamentalem, & spectantem ad diversum prædicamentū ab illo, in quo ponitur ipsius fundamentum; nihilominus adhuc in hypotesi, quòd esset prædicamentalis, & spectans ad diversum prædicamentum ab illo, in quo ponitur eius fundamentū, sustinet Scotus, argumentum non concludere distinctionem realē inter ipsam, & fundamentū, sed solum distinctionem formalē. Quod minimè posset sustinere, si existimaret, diversa prædicamenta ex sua ratione præexigere distinctionem realem in his, quæ in ipsis collocantur; nec sufficere distinctionem formalē inter ipsa.

5 Est præterea sententia ista recepta, nō solum apud aliquos Scotistas in manuscriptis, sed etiam cōmunis, & recepta inter Thomistas; nã ipsam defendūt Arauxo 5. Met. q. 1. ar. 4. vbi ait, esse expressam D. Tho. ibid. lect. 7. & q. 7. de potentia ar. 2. ad 2. Fonseca ibid. Suar. in Metaph. disp. 39. lect. 2. & disp. 47. sec. 3. & d. 49. sec. 2. Vaz. 1. p. disp. 22. c. 5. & disp. 138. c. 2. & disp. 173. c. 2. & quã plures alij.

6 Imò addo, esse expressam Aristot. c. de Qualitate, vbi, cum inter

qualitates primæ speciei scientiæ enumerasset, in fine capituli sibi objicit, scientiā esse positā in prædicamento ad aliquid, ac per cōsequens non esse in prædicamento qualitatis enumerandam. Ad quā objectionem duo respondet. Primum est, scientiam non esse enumeratam in prædicamento *ad aliquid* inter relativa *secundū esse*, sed inter relativa *secundū dici*; quæ propriè non sunt relationes, sed qualitates, aut alterius prædicamenti absolutorum. Secundum, quod respondet, est (ni fallor) nostra conclusio; scilicet nullum esse incōveniens, seu absurdum, quod eadem res collocetur in duobus prædicamentis, scilicet qualitatis, & relationis, si eidem rei utraque ratio, qualitatis nempe, & ad aliquid secundum diversas rationes cōveniat. Verba Philosophi sunt. *Præterea, si quid idem, & quale, & ad aliquid sit, in utro usque, ipsum generibus collocari, enumerarique haud absurdum erit.*

7 Et ratio pro hac sententia est, quia prædicamenta accidentium (vt in q. 1. huius disp. dicebamus) differunt ex diverso modo in genere afficiendi realiter substantiam. Sed nil vetat, quod idem numero accidens secundum diversas formalitates diverso modo in genere realiter afficiat substantiam: ergo neq; quod idem numero accidens secundum diversas formalitates genere diversas ponatur in diversis prædicamentis accidentium.

Minorem, in qua est tota difficultas, probant Thomistæ citati instantia actionis, & passionis; quæ secundum Arist. 3. Phys. tex. 19. sunt idè realiter in motu; & tamen secundum eundem Philosophum in hoc cap. diversa prædicamenta constituunt propter diversos in genere modos afficiendi substantiā, qui eis secundum diversas rationes formales actionis, & passionis cōpetunt.

8 Tamen instantia ista, etsi in sententia Thomistarū optima sit, in sententia verò Scoti nil valet. Nā (vt in cap. de Actione dicemus) in sententia Scoti actio, & passio, quas docet Arist. 3. Phys. esse idem realiter in motu, non sunt actio, & passio, de quibus in hoc cap. affirmat, constituere diversa prædicamenta. Nam in 3. Phys. loquitur de actione, & passione sumptis pro causalitate, seu fieri rei, in quantum sunt actus agentis, & patientis. Actio verò, & passio, quas hinc docet constituere diversa prædicamenta, sunt actio, & passio sumptæ pro respectibus extrinsecus advenientibus transmutatis ad transmūtatum, & transmūtari ad transmūtans. Qui respectus nō solum sunt realiter distincti, sed etiā oppositi, & in diversis subiectis existentes.

9 Alij probant prædictam minorem instantia *ubi*, & *situs*, quæ diversa prædicamenta constituunt, & tamē nō sunt accidentia realiter diversa. Sed etiam hæc instantia est inefficax; quia (vt suo loco dicā) *ubi*, & *situs* realiter distinguuntur.

10 Melius probari potest prædicta minor instantia figuræ, quæ idem numero accidens est; & tamen q. 10. prædicamentali §. Ad secundum dico docet Scot. quod, quatenus dicit superficiem terminatam lineis, est in genere quantitatis; quatenus verò dicit ipsam clausuram, seu terminationem linearum, est in quarta specie qualitatis.

11 Nec ea, quæ Scotistæ obijciunt, multum videntur. Ad primam respondemus cum Scot. dist. illa citata, prædicamenta dici ab Aristot. primò diversa subiectivè quàm ad rationes formales eorum ita, quòd nullum illorum formaliter, & quidditivè includat alterum, aut aliquid alterius; (aliàs diversorum generum, & non subalternatim positorum eadè essentia differentiæ; cuius oppositum cum Aristot. c. 3. statuimus) non verò quoad entitatem realem.

12 Ad secundam concessa maiori respondetur ad minorem, quòd etiam si ferè semper cõtingat, esse realiter distincta ea, quæ essentialiter distinguuntur; (& ideò super 1. cap. Porphyrij disputat. 1. q. 2. sect. 1. n. 54. dixi, distinctionem essentialem nõ solum esse realem, sed etiam maiorem aliqua reali, scilicet, quæ versatur inter individua eiusdem speciei) tamen non

est hoc per locum intrinsecum necessarium, cum videamus, in divinis bonitatem, & sapientiam definitione, & consequenter essentialiter distingui; & tamè sunt idem realiter, & in creaturis de actione, & passione sumptis; nõ pro respectibus transmutantis ad transmutatum, & transmutati ad transmutans; (quæ ratione constituant diversa prædicamenta) sed pro fieri rei, ut est actus agentis, & patientis docuit Aristot. 3. Physic. habere aliud, & aliud quidditatem, & tamen esse idem realiter in motu. Et de iustitia, & virtute affirmat idè Aristot. in Ethicis esse eandem rem, distingui tamen per rationem quidditativam.

13 Ad tertium respondetur, maiorem universaliter sumptam esse falsam. Licet enim ea, quæ formaliter distinguuntur, sint entia incompleta, quoties sunt formalitates cõcurrentes ad constituendam unam essentiam, ut contingit in formalitate generis, & formalitate differentia: tamen non sunt entia incompleta, sed totalia, quoties unaquæque formaliter dicit suam integram quidditatem, & essentiam, ut contingit in exemplis, seu instantiis supra adductis.

SECVN.

SECUNDA PARS HUIUS LIBRI PRAEDICAMENTORVM, in qua est sermo de ipsis prædi- camentis.

ABSOLVTA iam prima parte huius libri Categoriarũ, seu prædicamentorum, in qua per quatuor capita docuit Philosophorum Princeps, quæ sint ea, quæ ad prædicamentorum noti-

tiam erant præmittenda, aggreditur iam Aristoteles secundam, & præcipuam partem illius, in qua sigillatim de prædicamentis differit incipiendo à prædicamento substantiæ.

CAPVT QVINTVM DE SVBSTANTIA.

TEXTVS. *Substantia autem, qua quidem propriè, in primis quæ, & maxime sic dicitur, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN TENTVM Aristot. in hoc capite est explicare naturã substantiæ, quæ est primũ prædicamentum; dividiturque in duas partes. In prima, præsupposita divisione substantiæ in primã, & secundam, explicat, quid sit prima, & quid secunda substantia; simulq; comparat primam substantiam cum secunda; & secundas

inter se. In secunda verò parte enumerat sex proprietates substantiæ.

Accedendo ad primam partem hoc pacto Arist. definit primam substantiam. *Substantia, qua quidem propriè, in primis, & maxime sic dicitur, est, qua neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est; vt Petrus. Secundam verò substantiam, dicit, esse genera,*

ra, & species. Inter has autem substantias (inquit Philosophus) prima substantia est maximè substantia; quia substat pluribus: substat enim accidentibus, & etiam secundis substantijs. Undè corruptis primis substantijs nihil poterit remanere. Inter secundas vero substantias magis substantia est species, quam genus, quia species magis appropinquat ad primam.

In secunda parte enumerat proprietates substantiæ. Prima (& quæ communis est primæ, & secundæ substantiæ) est, quòd in subiecto non est, sicut accidens. Secū-

da (& quæ solùm competit secundis substantijs) est, quòd univocè prædicantur de primis substantijs. Tertia, quòd prima substantia significat *hoc aliquid*, secunda vero *qualequid*. Quarta (& quæ communis est utriusque substantiæ) est, quòd substantiæ nil est contrariū. Quinta (& quæ etiam est communis utriusque substantiæ) est, quòd substantia nõ potest suscipere magis, & minus. Sexta, & vltima (& de qua dicit esse maximè proprietatem substantiæ) est, ut eadem numero manens sit contrariorum susceptiva. Hæc in litera.

ANNOTATIONES

circa literam.

CIRCA ordinem procedendi annotandum est, meritò Arist. egisse prius de substantia, quàm de accidentibus, quia (ut ipse docet 7. Metaph. cap. 4. & Scot. in 2. d. 1. q. 5. lit. B. & 7. Metaph. q. 2.) substantia est prior accidentibus natura, tempore, & cognitione, sine definitione. Est prior natura; quia in genere causæ materialis substantia est causa accidentium, & omnis causa est prior natura suo effectu. Est prior tempore; quia (ut super prædictum locum lect. 1. docet D. Thom.) in tota latitudine substantiarum datur aliqua substantia, scilicet Deus, absque vllis ac-

cidentibus, at verò in tota latitudine accidentium non datur aliquod accidens absq; substantia. Et hoc est, quod loco citato significavit Arist. dicens; *Aliorū enim nullum est separabile; hæc autem sola.* Est prior cognitione, seu definitione; quia accidentia definiuntur, ac per consequens cognoscuntur per substantiam, non verò è contra.

2 Quòd si objicias, ex Aristot. 1. de Anima c. 1. accidentia multum conducere ad cognitionem substantiæ; ergo ex Arist. substantia non est prior cognitione accidentibus. Responderetur, accidentia conducere ad cognitionem

confusam substantiæ, & à posteriori; tamen ad cognitionem distinctam, & à priori potius substantiam conducere ad cognitionem accidentium; siquidem illorum est causa, & per illam definiuntur, & non è contra.

3. Circa definitionem, qua Arist. definiuit primam substantiam, annotandum est, priora illa verba, *Substantia, quæ quidem propriè, in primis, & maximè dicitur*; non intrare definitionem primæ substantiæ, sed esse posita ad maiorem explicationem illius, quod definitur. Cum enim hoc nomen *substantia*, & significet essentiam rei; & similiter id, quod est per se, seu id, quod substat accidentibus. Et insuper substantia in hac secunda acceptione quædam dicatur prima, illa scilicet, quæ primò substat accidentibus, & quædam dicatur secunda, illa scilicet, quæ substat accidentibus secundariò, & ratione prioris, ideò meritò Arist. volens definire primam substantiam posuit prædicta verba ante definitionem ad explicationem definiti; nam per *ly propriè* excluditur à ratione definiti substantia sumpta in prima acceptione, hoc est, pro essentia; quia hæc non est verè, & propriè substantia prædicamentalis, cum per omnia prædicamenta divagetur. Per reliquas verò particulas excluduntur etiam à ratione definiti secundæ substantiæ; quia hæc non sunt *in primis*, & *maximè* substantiæ. (ut infra

dicemus) Undè solùm intrant in definitionem primæ substantiæ hæc particula: *Est, quæ neque de subiecto aliquo dicitur, neque in subiecto aliquo est*. Et per priores differt prima substantia à secundis, quæ, etiam si non sint in subiecto per inhesionem, dicuntur tamen quidditative de suis inferioribus. Per posteriores verò particulas differt prima substantia ab accidentibus singularibus, quæ, etiam si non dicantur quidditative de inferioribus, quia nulla habent, sunt tamen in subiecto per realem inhesionem.

4. Circa verba illa, quibus explicat Aristotelis, quæ sint secundæ substantiæ, annotandum est, nõ tam esse definitionem, quàm enumerationem earum rerum, quæ dicuntur secundæ substantiæ. Neque ex eo existimandum est, Arist. fuisse diminutum, eò quòd non tradiderit definitionem secundarum substantiarum; nam in 4. c. huius libri, dum divisit ea, quæ sunt, in quædam, *Quæ de subiecto dicuntur, in subiecto autem non sunt*, satis clarè definitionem, secundarum substantiarum tradiderat.

5. Circa primam proprietatem substantiæ annotandum est, per non esse in subiecto, non intelligere Aristot. qualemcumque negationem essendi in subiecto; (aliàs hæc proprietates non competeret formis substantialibus, quæ verè sunt in materia, tanquam

quam in subiecto) sed solum negationem essendi in subiecto, (vt Aristot. ait) tanquam apcidents, id est, per reale inhesionem. Et hæc negatio sola est, quam significat *ly per se*, quod est, per quod solent Authores hanc proprietatem substantiæ declarare.

6 Circa secundam proprietatem annotandum est, per prædicari vniocè de primis substantijs, intelligere Aristotelè prædicari secundum nomen, & rationem quidditativam, & essentialem. Quæ ratione diximus in annotationibus ad caput primam de Æquivocis, &c. numero 5. denominativa non prædicari vniocè de primis substantijs, etiam si prædicentur secundum idem nomen, & rationem accidentalem. Et sic patet, quò pacto prædicari vniocè de primis substantijs sit proprium, & solum conveniens secundis substantijs.

7 Circa tertiam proprietatem dubitant Authores, cur Aristotelis hic doceat, secundas substantias significare quale quid; supposito, quòd in prædicabilibus ex eodem Arist. docuit Porphyrius, genera, & species, quæ idem sunt, ac secundæ substantiæ, non prædicari in quale quid, sed hoc solum esse proprium differentiarum? Videntur enim hæc duo secù pugnare, secundæ substantiæ significant quale quid; secundæ substantiæ nõ prædicantur in quale quid.

8 Sed ad hanc difficultatem

respõdetur, in his duobus locis nõ esse aliquam contrarietatem, sed explicari ab Aristot. diversas proprietates qualitatris, per similitudinem ad quas res, quæ verè sunt substantiæ, dici solent, habere modum qualitatis, vel in prædicando, vt dicitur de differentijs, vel in significando, vt dicitur de secundis substantijs.

9 Quod vt intelligatis, annotandum est, in qualitate esse duas proprietates. Prima, & maxime propria qualitatis est, ita in hære, & afficere subiectum, vt ad interrogationem factã de illo per quale, propriè respondeamus per illam. Secunda, & minus propria (est enim cæteris accidentibus communis) est, quòd à subiecto determinatur quantum ad actualem inhesionem, & aliquo saltem modo, quoad individuationem.

10 Primam proprietatem qualitatis attendens Porphyr. in prædicabilibus optimè dixit, solam differentiam, & non genus, & speciem, assimilari in prædicando, & habere modum qualitatis; nam sola differentia est, quæ ita afficit speciem, vt ad interrogationem essentialem factam per quale de specie respõdeamus per illam. Secundam verò proprietatem attendens Arist. in hoc cap. meritò dixit, secundã substantiam, & non primam assimilari, (in significando) & habere modum qualitatis; nam, sicut qualitas terminatur per subiectum ad actualem inhesionem,

tiam,

tiam, & aliquo modo ad individuationem, ita etiam secundæ substantiæ per primâ determinatur, ad actualem subsistentiam, & aliquo modo quoad individuationem. Ex quibus patet, in prædictis locis nullam esse contradictionem.

11 Circa quartam proprietatem, quæ est non habere contrarium, dubitant etiam Authores, quo pacto hoc sit verum, cum ex Arist. 1. Physic. tex. 50. principia, ex quibus substantia componitur, sint contraria, imò (vt ipse loquitur) primò contraria. Pro solutione annotandum est primò, quatuor esse genera oppositionis, (vt docuit Arist. in hoc libro capite de oppositis) scilicet privativa, quæ versatur inter formam, & eius privationem, vt inter lucem, & tenebras. Contradictoria; quæ versatur inter formam, & eius negationem; vt inter hominem, & non hominem. Relativa; quæ versatur inter duo relata; vt inter patrem, & filium. Et contraria; quæ versatur inter duas formas, quæ, cum sub eodem genere contineantur, ab eodem subiecto mutuo se expellant; vt inter albedinem, & nigredinem; inter frigus, & calorem &c.

12 Secundò annotandum est, dupliciter posse aliqua dici contraria. Primò latè, eò quòd aliqua ex prædictis oppositionibus opponantur. Secundò strictè, eò quòd illis conveniant omnes conditiones ad quartam oppositionem re-

quisitæ, scilicet quòd sint entia positiva, & ita sub eodè genere contineantur, vt se mutuo expellant ab eodem subiecto.

13 His suppositis ad difficultatem propositam respondemus, non esse contradictionem in locis Arist. allegatis; nam, cum in hoc capite dicit, esse proprietatè substantiæ non habere contrariu, loquitur de contrarietate strictè sumpta. Quæ ratione verum est, substantiam non habere contrarium; quia, cum sit per se, & non inhæreat in subiecto, non potest de illa verificari, quòd ita cum alio opponatur, vt ab eodem subiecto mutuo se expellant; quod est vna ex conditionibus ad contrarietatem strictè sumptam requisitis. Cum autem 1. Physic. docet, principia, ex quibus componitur substantia, esse contraria, imò primò contraria, loquitur de contrarietate latè sumpta, scilicet pro quacumque oppositione. Quæ ratione etiam verissimum est, principia, ex quibus componitur substantia, esse primò contraria, nam forma, & privatio, quæ sunt duo principia, ex quibus componitur substantia, opponuntur privativè, Quæ est vna ex oppositionibus.

14 Circa quintam proprietatem, quæ est, non suscipere magis, & minus, dubitant etiam Authores, quomodo sit hoc verum, cum ipsemet Aristot. in hoc capite affirmet, primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam,

dam, & inter secundas, species esse magis substantias, quàm generata?

15 Pro solutione annotandum est, dupliciter posse aliquid dici maius, vel minus. Vno modo secundùm intensionem: qua ratione calor, vt quatuor, dicitur maior, quàm calor, vt duo, & minor, quàm calor, vt octo. Secundo modo potest aliquid dici maius, vel minus secundùm extensionem: quo pacto Matritum dicitur maius Compluto. Cum igitur Aristot. docet, esse proprietatem substantiæ nõ suscipere magis, aut minùs, loquitur de magis, & minùs secundùm intensionem. In quo sensu ita verum est, substantiam non suscipere magis, & minùs, sicut certum est, non suscipere intensionem, secundùm quam sit maior, vel minor. Cum verò dicit, primam substantiam esse magis substantiam, quàm secundam, loquitur de magis, & minùs secundùm extensionem. Qua ratione sicut Matritum dicitur maius Compluto, quia habet plures domos, ita prima substantia dicitur magis substantia, quàm secunda, quia (vt ait ipsemet Aristotel.) pluribus substat: substat enim non solùm accidentibus, sed etiam secundis substantijs. Vnde patet non esse contradictionem in verbis Aristot. allegatis.

16 Circa sextam, & vltimam proprietatem, scilicet quòd ea-

dem numero manens est susceptiva contrariorum, dubitant Authores, quomodo sit verum id, quod de ipsa docet Aristot. scilicet esse maximam, id est, quarto modo convenientem? Et ratio dubitandi est, nam hæc proprietas, nec conuenit omnibus substantijs, nec solùm illis. Non conuenit omnibus, nam substantiæ incorruptibiles, vt sunt Angeli, cæli, &c. non recipiunt accidentia contraria. Quod sic demonstro. Accidentia contraria disponunt ad corruptionem. Sed substantiæ incorruptibiles non possunt disponi ad corruptionem: ergo neque prædicta accidentia recipere. Nec competit solis substantijs; nam quantitas est accidens; & tamen eadem numero manens est susceptiva contrariorum. Item, propositio est accidens, & eadem numero manens est vera, si res ita se habeant, vt per ipsam enuntiantur; & postea est falsa, si res mutantur, & aliter se habeant. Sed verum, & falsum sunt contraria: ergo suscipere contraria eandem numero manentem, non competit solis substantijs: ac per consequens, neque erit proprietas illius maxima, & in quarto modo.

17 Pro solutione nota primò, Aristot. non sumere hic contraria stricto modo, sed latè pro omnibus illis, quæ aliquo modo opponuntur. Et quòd hoc sit verum patet, nam in textu meminit Arist.

veri, & falsi, tanquam contrariorum, dum negat, propositionem recipere contraria; & manifestum est, verum, & falsum non esse contraria stricto modo, cum opponantur privativè. Secundò nota, hic non esse sermonem de quocumque subiecto contrariorum, sed de subiecto *quod*.

18 His suppositis respondetur ad difficultatem propositam, falsum esse hanc proprietatem nõ competere omnibus, & solis substantijs. Ad primam probationem respondetur, quòd, etiam si substantiæ incorruptibiles non sint susceptivæ contrariorum stricto modo sumptorum propter rationem in argumento adductam, sunt tamen susceptivæ contrariorum lato modo sumptorum; nam Angeli secundum intellectum re-

cipiunt verum, & falsum, & secundum voluntatem bonitatem, & malitiam; & coeli motus contrarios, & augmentum, & decrementum lucis. Quæ omnia sunt contraria lato modo. Ad secundam respondetur, quantitatem non suscipere contraria, vt subiectum *quod*, sed vt subiectum *quo*. Ad tertiam respondet ipsemet Aristot. verum esse propositionem recipere contraria, scilicet veritatem, & falsitatem, eadem numero manentem, sed falsum esse, illa recipere per mutationem sui, sed per mutationem extrinsecam: proprietas autem substantiæ est, quòd eadem numero manens recipiat contraria per mutationem intrinsecam, & factam in ipsamet substantia.

DISPUTATIO VNICA.

De natura substantiæ.

Substantia primo prædicamento quatuor considerari possunt. Primum, *Qua sit essentia substantiæ?* Secundum, *Qualis sit divisio substantiæ in primam, & secundam?* Tertium, *Quid sit definitum quo in definitione primæ substantiæ? & utrum sit exacta?* Quartum, & ultimum, *Quæ sint illa, quæ in hoc prædicamento collocantur?*

QVAESTIO

QVÆSTIO PRIMA.

Qua sit essentia substantia?

QVÆSTIO procedit de substantia, ut distinguitur contra accidens, & transcendit per omnia, quæ in isto prædicamēto collocantur, siue in recta linea, ut sunt genera, & species, & individua; siue ad latus, ut sunt differentiæ substantiales; nam in his omnibus includitur formaliter ratio substantiæ, sumpta substātia, ut distinguitur cōtra accidēs: licet maxime sit advertendum, quod, sicut c. 1. Categoriarū disp. 2. q. 1. n. 16. loquēdo de ente dicebamus, includi formaliter in omnibus entibus, sed aliter, & aliter, nam in entibus nō simpliciter simplicibus, ut sunt genera, species, & individua, includitur ens *quid*, id est, ens potentiale, & cōtrahibile, in entibus verò simpliciter simplicibus, ut sunt modi intrinseci, eius propriæ passionēs, & differentiæ ultimæ, includitur ens *quale*, id est, actūans, & determinas. Ex quo inferebamus, differentiās ultimās, modos intrinsecos, & passionēs entis esse primò diversa, neque ab ipsis posse abstrahi rationem entis de ipsis dictam in *quid*, sicut abstrahitur à reliquis; ita de substantia (quæ etiam transcendens est ad omnia, quæ in hoc prædicamento collocantur, sicut ens ad omnia

prædicamenta) modò dicimus, quod etiam si formaliter includatur in omnibus, quæ ponuntur in hoc prædicamento; sed aliter, & aliter; nam in generibus, speciebus, & individuis, quæ in recta linea collocantur, includitur substantia *quid*, id est, potentialis, & contrahibilis; & sic non mirum, quod ab eis possit abstrahi ratio communis substantiæ, quæ de eis dicatur in *quid*. At in differentiis, & passionibus includitur substantia *qualis*, id est, actūans, & consequenter hæ differentiæ, & passionēs formaliter, & ut tales sunt, consideratæ, erunt primò diversa, neque ab eis poterit abstrahi aliqua ratio substantiæ communis, & quæ de eis dicatur in *quid*.

2 Et præsuppono, nos nō inquirere, quæ sit differentia essentialis, & quidditativa, per quam substātia transcendens ad omnia, quæ in isto prædicamento collocatur, cōstituitur in esse talis, & differat ab accidentibus; quia, cū essentiæ rerum sint nobis ignotæ, prædictæ differentiæ non possunt à nobis assignari. Sed inquiremus, quæ sit passio magis intrinseca substātiæ, & per quā loco differentiæ quidditivæ nobis ignotæ debeamus illā definire, & eius quidditatē explicare? Rece-

prum enim est apud Philosophos, ut, quando differentiarum quidditativa rerum nobis non innotescunt, loco illarum possimus constitutare passionem, & proprietatem magis intrinsecam, quam de illis rebus cognoscimus, si illarum essentias velimus declarare.

3. Et quidem, quamvis substantiarum sex proprietates nobis tradiderit Aristoteles, solum de duabus, scilicet de prima, quæ est non esse in subiecto, sicut accidens, siue (quod idem est) esse per se; & de ultima, quæ est esse subiectum accidentium, siue (quod idem est) substare accidentibus, siue sustentare accidentia, est difficultas inter Autores; nam reliquas, omnes fatentur, non esse ita intrinsecas substantiæ, ut possimus per aliquam ipsarum loco quidditivæ differentiarum essentiam substantiæ declarare.

4. Ex his ergo duabus proprietatibus proprietatem substandi accidentibus, siue esse subiectum accidentium, quæ est, quam Aristoteles ultimo loco posuit, dicunt aliqui esse magis intrinsecam substantiæ, non verò proprietatem essendi per se, siue non essendi in subiecto. Ita Boëtius in hoc capite. Quæ sententia probari potest: primò ex ipsa nominis etymologia; nam (ut inquit Isidorus libro etymologiarum capite 26.) *substantia est, quæ propriè substare dicitur*: ergo substare accidentibus erit proprietas ipsius ma-

gis intrinseca.

5. Secundò, quia proprietas, quæ est sumè intrinseca rei, & per quam loco differentiarum essentialis eius essentiam explicamus, non potest adhuc de potentia absoluta communicari rei diversæ quidditatis ab illa, cuius est proprietas. Sed esse per se, siue non esse in subiecto per inharrentiam potest communicari per potentiam Dei accidentibus, quæ sunt diversæ quidditatis à substantia; (ut videri est in quantitate, quæ in Sacramento Eucharistiæ est per se, & non in subiecto inharrens) nõ est ergo esse per se, siue non esse in subiecto per inharrentiam proprietatis magis intrinseca substantiæ.

6. Tertiò, quia ens positivum, ut est substantia, non constituitur per negationem: sed esse per se, siue non esse in alio per inharrentiam est negatio: ergo non est proprietas, seu differentia ita intrinseca, ut per ipsam constitutur substantia in esse talis: sed hoc alteri proprietati debet competere, scilicet proprietati substandi accidentibus, quæ quid positivum est.

7. Communis tamen, & vera sententia tenet oppositum, scilicet proprietatem essendi per se, siue non essendi in subiecto per inharrentiam esse magis intrinsecam substantiæ, quam proprietatem substandi accidentibus; ac per consequens per illam debere semper

semper definiri substantiam loco
veræ differentiæ. Ita Scotus quo-
lib. 3. litera S. D. Thom. opuscu-
lo 42. de Natura generis, & in
quarto distinct. 12. quæstione pri-
ma articulo primo, quæstiuncula
prima ad secundum, & commu-
niter recentiores. Et ratio effi-
cax, & à priori est; quia illa est
proprietas magis intrinseca sub-
stantiæ, quæ primò comperit sub-
stantiæ, & ratione cuius reliquæ
ei conveniunt. Sed esse per se
convenit primò substantiæ, & ra-
tione illius convenit substantiæ,
esse subiectum accidentium, siue
substare accidentibus: ergo esse
per se est proprietas magis in-
trinseca substantiæ. Minor pater;
quia hæc causalis est vera; quia
substantia per se existit, est pri-
mum subiectum accidentium; nõ
verò è contra, quia est primum
subiectum accidentium, ideo exi-
stet substantia per se.

8 Ad primum argumentum
in contrarium respondetur, etiam
substantiam samere etymologiam
à verbo subsistere, quod signifi-
cat perfectè in se esse, indepen-
denter à quolibet alio. (vt testa-
tur idem Isidorus libro primo dif-
ferentiarum capite 4.) Præter-
quam, quodd argumentum, desum-
ptum ex etymologia nominis ad
probandum essentiam rei, nil va-
let; cum sæpè res, à qua nomen
imponitur, & res, ad quam signifi-
canda imponitur, valde diversæ
sint.

9 Ad secundum respondetur
concedendo maiorem; sed nega-
mus minorem; & ad probatio-
nem respondetur, proprietatem
substantiæ magis intrinsecam non
esse, per se actualiter existere, si-
cut est quantitas in Eucharistia,
sed esse, per se aptitudinaliter, &
connaturaliter existere. Quod nõ
comperit quantitati in Eucharis-
tia.

10 Ad tertium respondetur,
verum esse, ens positivum, quale
est substantia, non constitui per
negationem, qualis est esse per se,
seu non esse in subiecto per inha-
rentiam: tamen ex hoc non se-
quitur, esse per se non esse proprie-
tatem magis intrinsecam, & quæ
immediatè sequitur ad differen-
tiam essentialem substantiæ. Sed
solum sequitur, non esse differen-
tiam essentialem, & constitui-
vam substantiæ. Quod nos non
negamus; solum enim dicimus,
hanc differentiam essentialem sub-
stantiæ, quæ absque dubio aliquid
positivum est, cum nobis sit igno-
ta, explicari debere per hanc ne-
gationem; non esse in subiecto;
quia hæc est prima, & quasi causa
cæterarum proprietatum, quæ

à nobis cognoscuntur

de substan-
tia.

QVÆSTIO II.

Qualis sit divisio substantiæ in primam, & secundam?

VT explicemus, qualis sit divisio substantiæ in primam, & secundam, opus est, ut prius declaremus, quid sit divisum in ista divisione? Et supposita divisione, seu distinctione de *diviso quod*, & *diviso quo*, quam iam agnoscitis, dicunt omnes, (& in hoc nulla est controversia) *divisum quod*, huius divisionis, neque esse substantiam, quæ est genus generalissimum in hoc prædicamento; neque esse substantiam, quæ abstrahit à completa, & incompleta, sed esse substantiam completam, provt abstrahit à prima, & secunda, id est, provt solum includit sua prædicata essentialia, & proprias passionés. Et ratio est; quia, si in hac divisione *divisum quod* esset substantia, quæ est genus generalissimum, cum substantia, quæ est genus generalissimum, sit substantia secunda, *divisum* contineretur sub vno ex membris dividendibus: et si *divisum quod* esset substantia, provt abstrahit à completa, & incompleta, divisio non adæquaret *divisum*, siquidem aliqua substantia contineretur sub *diviso*, quæ neque esset prima, neque secunda, scilicet omnes incompleta.

2 Sed quamvis omnes fatean-

tur, *divisum quod* esse substantiam completam abstrahendo à prima, & à secunda, differunt in assignando, quid sit *divisum quo*, siue, quod idem est, ratio sub qua prædicta substantia dividitur in primam, & in secundam substantiam. Et ratio dubitandi est; quia in substantia duplex ratio excogitari potest; scilicet & ratio essendi per se, quæ est proprietas magis intrinseca, quæ substantiæ convenire potest, & per quam essentiam substantiæ prædicamentalis declaramus: (vt ex dictis q. præcedenti patet) & ratio substandi accidentibus. Quæ adhuc dupliciter excogitari potest, scilicet primè, vel secundè intentionaliter. Tunc substantia dicitur substare accidentibus primè intentionaliter, quando concipitur, vt subiectum accidentium in reali inhesionè. Tunc verò dicitur substare accidentibus secundè intentionaliter, quando concipitur, vt subiectum accidentium in actuali, vel aptitudinali prædicatione. Cum igitur in substantia, quæ est *divisum quod* in hac divisione hæc duplex, seu triplex ratio excogitari possit, hinc orta est controversia apud Authores, scilicet in assignando, quæ ex his rationibus sit *divisum quo*, seu ratio sub qua substantia dividitur in primam, & secundam.

3 Prima sententia affirmat, *divisum quo* esse rationem substandi accidentibus secundè intentionaliter sumptam, seu, quod idem est,

in

in aetuali, seu aptitudinali prædicatione. Sed meritò fere ab omnibus rejicitur; nam solum potest ratio substandi accidentibus esse divisum *quo* in hac divisione, in quantum est propria passio substantiæ, quæ dividitur. Sed substare accidentibus secundè intentionaliter non est propria passio substantiæ, quæ hinc dividitur; sed potius id competit rationi substandi accidentibus primè intentionaliter sumptæ; ergo ratio substandi accidentibus secundè intentionaliter sumpta non potest esse divisum *quo* istius divisionis. Minor probatur. Tùm quia substare accidentibus secundè intentionaliter, seu in prædicatione non solum competit substantiæ, sed etiam accidentibus. Tùm etiam, quia, cum substare accidentibus secundè intentionaliter, seu in prædicatione sit relatio rationis, repugnat illi, quòd sit proprietas entis realis, quale est substantia, quæ hinc dividitur.

4. Secunda sententia docet, divisum, *quo*, esse solam rationem substandi accidentibus primè intentionaliter sumptam. Fundamentum est; quia Aristot. postquam tacitè divisit substantiam in primam, & secundam, docuit primam esse magis substantiam, quàm secundam. Sed hoc solum potest verificari de substantia in ratione substandi accidentibus, ut visum est in annotationibus numero 15, nõ verò in ratione essen-

di per se; ergo divisum *quo*, seu ratio *sub qua* consideravit Aristot. substantiam in ista divisione, solum est ratio substandi accidentibus primè intentionaliter sumpta.

5. Sed quamvis hæc ratio optime probet, Aristot. divisisse substantiam in primam, & secundam sub ratione substandi accidentibus primè intentionaliter, & consequenter proprietatem istam esse divisum, *quo*; non tamen probat hoc solum competere huic proprietati. Potuit enim Aristot. dividere substantiam, non solum sub ratione substandi accidentibus primè intentionaliter, sed etiam sub ratione essendi per se in primam, & secundam; & postea comparando primam, & secundam substantiam secundum rationem substandi accidentibus primè intentionaliter, & non secundum rationem essendi per se, dicere, quòd prima erat magis substantia, quàm secunda. Quare verisimilius existimo, Aristot. divisisse hinc substantiam in primam, & secundam, non solum sub ratione substandi accidentibus primè intentionaliter consideratam, sed etiam sub ratione essendi per se; & sic utramque istam proprietatem esse divisum *quo* istius divisionis. Et ratio est, quia secundum utramque istam proprietatem competit substantiæ ratio primæ, & secundæ; ergo secundum utramque proprietatem consideravit Aristot. substantiam, quando illam di-

visit in primam, & secundam.

6 Tenendo igitur, vt certum, diuisum in hac diuisione esse substantiam completam, tam secundum rationem essendi per se, quæ est proprietas magis intrinseca substantiæ, & per quã essentiam illius declaramus, quã secundum rationem, seu proprietatem substantiæ accidentibus primè intentione liter, seu in reali inhesionem, circa præsentem difficultatem triplicem reperio sententiam. Primam assertentium, hanc diuisionem esse vniuoci in sua vniuocata, sumpto vniuoco in quarto, & imperfectissimo gradu vniuocationis, non seus, ac cap. 1. disputat. 2. quæst. 3. n. 16. diximus, ens esse vniuocum substantiæ, & accidenti, Deo, & creaturis. Et ratio pro ipsa est; quia ad vniuocationem in hoc quarto gradu solum requiritur, quod nomen sit commune, & ratio substantiæ per ipsum significata, vt nomine communi significatur, sit eadem in omnibus. (quod enim hæc ratio sit in omnibus æqualiter, & non per prius in vno, quã in alio, solum requiritur ad vniuocationem in primo gradu ex his, quos enumeravimus in principio quæstionis citatæ.) Sed substantiæ primæ, & secundæ non solum est commune nomen substantiæ; sed etiam ratio substantiæ significata per hoc nomen est eadem in ipsis; ergo nihil deficit ad hoc, vt hæc diuisio sit vniuoci in sua vniuocata.

7 Minorem probant; quia, ad hoc, vt ratio substantiæ significata per nomen commune sit eadem in multis, eo modo, quo requiritur ad vniuocationem, solum est necessarium, quod prædicta ratio sit intrinsece, & formaliter in eis, & insuper quod, quatenus significatur nomine communi, non includat actu principia distinctia, sed in confuso, & in potentia, vt manifestè convincitur instantia rationis substantiæ significatæ hoc nomine *animas*: sed esse per se, & substare in reali inhesionem accidentibus, (quæ sunt rationes, sub quibus hæc dividitur substantia) sunt intrinsece, & formaliter, tam in primis, quã in secundis substantiis; nam ex Arist. in hoc capite sunt proprietates vtriusque substantiæ, & insuper, vt significantur nomine communi substantiæ, non includunt actu principia distinctia, sed solum in confuso, & in potentia: ergo ratio substantiæ significata hoc nomine communi substantiæ (quæ est diuisum in hac diuisione) est eadem in prima, & secunda substantia eo modo, quo requiritur ad vniuocationem.

8 Secunda sententia defendit, hanc diuisionem non esse vniuoci in vniuocata, adhuc in quarto, & imperfectissimo gradu vniuocationis, sed esse analogi in analogata. Ita plures Thomistæ, inter quos sunt Iabellus 5. Meraphys. quæst. 7. Caieta. Masius, Foletus, Rubius, Torrejon super hoc ca-

put

put, Suarez in Metaphys. disp. 33. sect. 2. & videtur D. Tho. q. 9. de potentia artic. 2. ad 6. Et omnis pluribus rationibus, quæ ad hoc probandum solent adduci, desumptis ex inæqualitate, & dependentia, quam habent prima, & secunda substantia in receptione rationis substantiæ, quæ nomine communi substantiæ significatur, quia istæ solùm probant, substantiam non esse univocam primæ, & secundæ in primo gradu univocationis, non verò in quarto. Ratio efficacior est; quia ad univocum in quarto gradu necessarium est, ut ratio substantiæ nomine communi significata sit propriè, & formaliter in illis multis, de quibus dicitur; nam, si in vno est propriè, & formaliter, in alijs verò solùm impropiè, & per analogiam, seu similitudinem ad aliud, tale nomen non erit univocum, sed analogum. Sed ratio substantiæ significata per hoc nomen *substantia* (quæ est divisum huius divisionis) est propriè, & formaliter in prima substantia; cum primæ substantiæ sint verè, & realiter per se, & verè, & realiter subsistent accidentibus in reali inhesionè; in secunda verò substantia, cum non habeat esse à parte rei, sed solùm obiectivè in intellectu, non potest hæc ratio esse verè, & formaliter, sed solùm per apprehensionem, non secus, ac habet esse ipsa secunda substantia: ergo vera est ista sententia, scilicet divisionè istam non

esse univocam in univocata, adhuc in quarto gradu univocationis, sed potiùs analogi.

9 Tertia sententia docet, divisionem istam esse subiecti in accidentia, seu in diversos modos essendi accidentales. Hæc est sententia Scoti q. 12. prædicam. in fine; cuius hæc sunt verba. *Nota, quòd divisio substantiæ in primam, & secundam non est divisio generalissimi in species, sed subiecti in accidentia; quia substantia secundùm quòd intelligitur (secundùm quàm considerationem pertinet ad Logicum) dividitur in intentiones sibi accidentes.* Eamdem sententiam tenet Canterus in principio huius capituli. Martinus quest. 2. Sanchez lib. 5. Logicæ quest. 4. Gallego controuer. 23. Arauxo 5. Metaph. q. 2. art. 1. & 2. Cursus Carmelitani disp. 12. de Substantia quest. 2. Qui omnes dicunt esse D. Th. loco pro 2. sententia citato, in quantum ibi appellat hanc divisionem generis secundùm diversos modos essendi. Et ratio pro ipsa est; quia hic dividitur substantia secundùm se, id est, in quantum ei conveniunt sua prædicata essentialia, & propriæ passionès, in primam, & secundam. Sed prima, & secunda nil aliud est, quam esse singularem, & univocalem, qui sunt duo modi essendi accidentaliter convenientes substantiæ secundùm se: ergo prædicta divisio est subiecti in accidentia, seu in modos essendi accidentales.

10 Ego verò existimo, has tres sententias posse aliquo modo reconciliari secundum diversas considerationes, in quibus membra dividendia possunt accipi. Pro quo advertendum est, primam, & secundam substantiam (quæ sunt membra dividendia huius divisionis) tripliciter sumi posse. Primò formaliter; qua ratione dicuntur diversos modos essendi, qui accidere possunt substantiæ secundum se, videlicet esse singularem, & esse universalem. Secundò possunt sumi materialiter, scilicet pro rationibus, seu proprietatibus substantiarum, quæ primæ, & secundæ denominantur. Et hoc adhuc dupliciter; nam ratio, seu proprietates substantiæ, quæ dicitur secunda, potest dupliciter accipi. Primò, ut est à parte rei realiter identificata (licet formaliter distincta distinctione inadæquata iuxta dicta super 1. cap. Porphyrii. disp. 1. q. 2. sect. 2. à num. 71.) cum ratione, seu proprietatibus substantiæ, quæ dicitur prima. Secundò, ut per intellectum consideratur abstracta, & separata à ratione, seu proprietatibus primæ substantiæ. Si primo modo considerentur membra dividendia, divisio est subiecti in accidentia, seu in modos essendi accidentales; ut tenet tertia sententia. Si verò considerentur secundo modo, divisio est univoci in univocata, ut tenet, & probat prima sententia. Si denique tertio modo considerentur, divisio

est analogi in analogata; ut tenet secunda sententia, & probat ratio pro ipsa adducta.

11 Sed rogabis, quonam ex prædictis modis debeant accipi membra dividendia in præfata divisione? Responderetur accipienda esse primo modo, ac per consequens, tertiam sententiam Scoti, quæ dicit, esse divisionem subiecti in accidentia, seu in modos essendi accidentales, omnibus alijs esse præferendam. Ducor ad hoc asserendum primò: quia in omni divisione membra dividendia debent sumi formaliter, & non materialiter; ut per se est manifestum.

12 Secundò, & principaliter; quia; si membra dividendia non formaliter, sed materialiter sumerentur, divisio esset vitiosa. Primò, quia ratio, seu proprietates substantiæ, quæ divideretur in rationes, seu proprietates substantiæ, quæ sunt in substantijs, quæ denominantur primæ, & secundæ, essent illis communes, & superiores, & consequenter denominarentur secundæ substantiæ; & sic divisum contineretur sub vno ex membris dividendibus. Quod maximum vitium est in divisionibus. Secundò, quia iam vnum ex membris dividendibus prædicaretur de alio, nomine, & ratione. Quod etiã est maximum vitium in divisionibus. Patet sequela; nam secunda substantia materialiter sumpta, nomine, & ratione prædicatur de pri-

prima substantia illi inferiori, etiã materialiter sumpta.

13 Si autem sumantur membra diuidentia formaliter, (vt tertia sententia sumit) nullum vitium ex his continetur in ista diuisione: quia substantia secundùm se considerata, id est, vt includit sua prædicata essentialia, & proprias passionēs, neque est communis, & quidditativè superior modis essendi singulariter, & vniuersaliter; neque etiam modus essendi vniuersaliter (qui est vnum ex membris diuidentibus) prædicatur nomine, & ratione de modo essendi singulariter; qui est aliud ex membris diuidentibus, neque è contra.

14 Solùm advertendum est, modum essendi singulariter, seu individualiter, quem pro formali dicit prima substantia, posse sumi primè, & secundè intentionaliter. (vt cap. de Specie disp. 2. q. 1. n. 1. dixi) Primè intentionaliter sumptus significat modum essendi, quem habent primæ substantiæ à parte rei, qui consequenter erit quid reale. Sumptus verò secundè intentionaliter significat, vel relationes subijcibilis ad naturã specificam, vel prædicabilitatis de vno tantùm, quæ rebus, quæ denominantur primæ substantiæ, adveniunt per operationem intellectus, qui consequenter non erunt quid reale, sed quid rationis.

15 Est autem dubium, quò ex

his modis sumpserit Arist. modum essendi singulariter, seu individualiter in ista diuisione? Thomistæ citati pro sententia Scoti communiter affirmant, sumpserit illum primè intentionaliter; & sic dicunt, diuisionem istam esse subiecti in duos modos essendi accidentales; vnum rationis, & alium realem. At Scotus in verbis citatis docet sumpserit illum secundè intentionaliter; & sic diuisionem istam esse subiecti in duos modos essendi, non solùm accidentales, sed vtrumque convenientem substantiæ per operationem intellectus. Qui modus dicendi mihi maxime placet. Tùm quia sic membra diuidentia vniuersaliter sumuntur. Tùm etiã, quia in hac diuisione nõ vt Metaphysicus, sed vt Logicus processit Arist. & Logicus per se non considerat modum essendi, quem habet primæ substantiæ à parte rei, sed qui aduenit eis, vt obijciuntur intellectui comparanti ipsas ad naturas superiores, quibus in prædicatione subijciuntur, vel ad naturas illas de quibus prædicantur.

QVÆSTIO III.

Quid sit definitum quo in definitione primæ substantiæ? & vtrum sit exacta?

1 Circa primum aliqui defendunt, definitum, quo huius definitionis esse aliquid rationis, sci-

scilicet secundam intentionem individui, seu singularis, quam in sententia Scoti diximus, quæst. præced. n. 14. dicere primam substantiam pro formali. Et probari potest; nam hinc definitur prima substantia pro formali, & ut talis est: ergo definitum quo erit illud, quod prima substantia dicit pro formali, & ut talis est. Sed id iuxta mentem Scoti est secunda intentio: ergo secunda intentio erit definitum quo. Et confirmatur, quia qualis fuerit definitio, talis debet esse definitum. Sed definitio datur per negationem prædicationis, quæ est terminus secundæ intentionis: ergo etiam definitum formaliter, & ut tale debet esse secunda intentio.

2 Per oppositum alij affirmant, definitum quo esse aliquid reale, scilicet modum illum particulariter subsistendi, vel substandi accidentibus, qui convenit primæ substantiæ à parte rei. Ita Caietanus in hoc cap. Rubius quæst. 5. Murria q. 4. Cursus Carmelit. disp. 12. q. 3. & plures alij. Et probant; quia sub eadem ratione hinc fuit definita prima substantia, sub qua divisa est substantia in primam, & secundam; sed divisa est in primam, & secundam, non sub aliqua secunda intentione, sed sub reali ratione essendi per se, & substandi accidentibus: (vt q. præced. nu. 3. dictum est) ergo sub ista etiam ratione reali fuit definita.

3 Pro solutione huius difficultatis

advertendum est, Arist. definisse substantiam primam per duplicem negationem, scilicet per negationem essendi in subiecto, & per negationem prædicandi de subiecto. Quarum quælibet continet suam quasi particularem definitionem: nam per priorem negationem explicuit Arist. id, in quo conveniunt prima, & secunda substantia, & differunt ab accidenti. Et per secundam explicuit id, per quod prima substantia formaliter, & in quantum talis distinguitur à secunda substantia, etiam formaliter, & in quantum talis considerata.

4 His suppositis, si sermo sit de definito quo per primam negationem explicatum, dicendum est primo, esse quid reale; non illud, quod Authores secundæ sententiæ assignabant, scilicet modum illum particulariter subsistendi, vel substandi accidentibus, qui convenit substantiæ primæ à parte rei; nam in hoc modo non conveniunt prima, & secunda substantia, sed proprietatem subsistendi, seu essendi per se in communi, quæ est maxime intrinseca substantiæ, & per quam diximus, debere eius essentiam declarari. Quæ est, in qua conveniunt prima, & secunda substantia, & differunt ab accidenti.

5 Si verò sermo sit de definito quo per secundam negationem explicatum (quod est de quo procedit præsens difficultas, nam procedit

cedit de definito *quo* huius definitionis, quatenus explicat primam substantiam formaliter, & inquantum prima est; dicendum est, non esse quid reale, sed quid rationis, illam scilicet secundam intentionem, quam prima sententia constituebat. Hoc enim meo videri probant efficaciter eius argumenta.

6 Et nunc confirmari potest, quia illa negatio, per quam definitio datur, explicat oppositum illius formæ, quam negat. Sed oppositum illius formæ, quam negat, non est aliquid reale, sed rationis: ergo, &c. Probo minorem, nam forma, quam negat, est secunda intentio vniuersalis, quæ est forma, à qua secundæ substantiæ habent, quòd sint secundæ, cui manifestum est, non opponi aliquid reale, sed aliquid rationis, scilicet secundam intentionem, quam proformali dicit singulare, seu individuum.

7 Et cõfirmatur secundò; quia definitum *quo* definitionis, quam tradidit Arist. de secundis substantijs formaliter, & vt secundæ substantiæ sunt (dicens, *esse genera, & species, in quibus in sunt prima;* id est, sub cuius potestate continentur primæ) non est aliquid reale, sed rationis, vt per se notum est: ergo idem dicendum erit de definito *quo* definitionis, qua definiuit primam substantiam formaliter, & vt prima substantia est: aliter enim esset non parua: & qui-

vocatio in definitionibus primæ, & secundæ substantiæ traditis ab Arist.

8 Argumentum autem adductum pro secunda sententia solum probat nostrum primum assertum, scilicet definitum *quo* definitionis substantiæ primæ tradite ab Aristot. non inquantum prima, sed inquantum substantia est abstrahens à prima, & secunda, qua ratione etiam diuisa fuit substantia in primam, & secundam, non esse quid rationis, sed quid reale.

9 Circa secundum, quod quaerit quaestio, vtrum scilicet definitio tradita ab Arist. de prima substantia sit exacta? rationes dubitandi sunt. Prima; quia definitio, quæ datur per negationem, est vitiosa. Sed hæc datur per negationem; imò per duplicem negationem: ergo est vitiosa.

10 Secunda; quia hæc definitio convenit alijs à definito; nam convenit substantiæ secundum se considerata, & prout abstrahit à prima, & secunda, quæ, vt sic, nec est in subiecto, nec dicitur de subiecto. Item, convenit partialibus substantijs, scilicet capiti, manui, &c. quæ etiam, nec sunt in subiecto per inhesionem, nec etiam prædicantur de subiecto.

11 Tertia; quia istæ prædicationes sunt optimæ, Petrus est prima substantia, Ioannes est prima substantia: ergo falsò dicitur in definitione, primam substantiam

non dici de subiecto. Quarta; quia prima substantia est singularis. Sed ex Aristotele 7. Metaphysices capite quinto, singularia non definiuntur: ergo neque prima substantia potest defini. Quinta; Aristot. explicans, quid sit prima substantia, posuit exemplum, *ut aliquis homo*, sed aliquis homo dicitur de Petro, Ioanne, &c. ergo falsum est, primam substantiam dici de subiecto.

12 Sed his non obstantibus dicendum est, definitionem primæ substantiæ traditam ab Arist. esse exactam. Et præter eius auctoritatem, & omnium interpretum, qui illam, ut exactam recipiunt, probari potest hac ratione. Illa est exacta definitio, quæ explicat definitum, & distinguit illud ab omnibus alijs, quæ cum ipso in aliquo communi proximè conveniunt. Sed hæc est huiusmodi: ergo, &c. Probatur minor; nam hæc non solum explicat primam substantiam, quæ in hoc consistit, scilicet, esse substantiam singularem; sed etiam per ly, *neq; de subiecto*, aliquo dicitur, distinguit illam à secundis substantijs, quæ cum illa in ratione substantiæ proximè conveniebant.

13 Unde ad primam rationem dubitandi responderetur, definitiones, quæ solum sunt quædam descriptiones definiti, non esse vitiosas ex eo, quod dantur per negationes, dummodò iam supponatur explicatum illud positivum, per cuius negationem dantur. Quod

in præsentem contingit; nam in capite 2. huius libri iam docuerat Aristot. quid sit esse in subiecto, & dici de subiecto.

14 Ad secundam negamus antecedens; & ad primam instantiam, qua illud probabatur, dicimus, negationes dicendi de subiecto, vel essendi in subiecto, quæ ponuntur in definitione primæ substantiæ, non esse negationes, utcumque, sed negationes repugnantia. Constat autem negationem dicendi de subiecto, quæ convenit substantiæ secundum se, & ut abstrahit à prima, & secunda consideratæ, non esse negationem repugnantia.

15 Ad secundam instantiam responderetur, quod, si verba Aristot. perpendamus, reperiemus, non dixisse absolute, primam substantiam esse, quæ neque est in subiecto, nec dicitur de subiecto, sed quæ ita non est in subiecto, nec dicitur de subiecto, ut alias sit substantia completa, & perfecta; hoc enim significant verba illa, *substantia, quæ principaliter, & maxime dicitur* posita ad explanationem definiti ante verba definitionis; unde, cum caput, manus, &c. non sint substantiæ perfectæ, & completæ, patet, non competere illis definitionem primæ substantiæ traditam ab Arist.

16 Ad tertiam responderetur, verba illa definitionis, *neque dicitur de subiecto* in actu exercito solum verificari de prima substan-

tia materialiter, seu primè intentionaliter sumpta, vt est Petrus, Ioannes, &c. nam de prima substantia formaliter, seu secundè intentionaliter sumpta solùm verificantur in actu signato, ita vt sensus sit, secunda intentio, quæ pro formali dicit prima substantia, est ratio, ob quam ea, quæ denominantur ab ipsa, non dicantur de subiecto. Cum quo optime stat, quòd ipsa in actu exercito prædicetur de rebus, quæ denominantur primæ substantiæ. Nec mirum, cum ipsa, vt sic, non sit prima substantia, sed quoddam accidens rationis, à quo Petrus, Ioannes, &c. denominantur, & sunt formaliter primæ substantiæ.

17 Ad quartam dicimus, primam substantiam pro materiali, seu primè intentionaliter sumptam esse singularem, vt *quod*, at verò primam substantiam pro formali, seu secundè intentionaliter sumptam non esse singularem, vt *quod*, sed esse singularem, vt *quo*, id est, formam, à qua Petrus, Ioannes, &c. singulares denominantur. Aristot. autem, cum loco citato dixit, singularia non definiiri; locutus est de singularibus *quod*, id est, de rebus, quæ denominantur singulares; non de singulari, vt *quo*; quia hoc potest optime denominari vniversale, vt contingit quoties ab hac, & illa secunda intentione singularis, seu individui abstraho vnã secundam intentionem singularis,

seu individui, & illam comparo ad sua inferiora, vt aptam dici de illis.

18 Ad quintam aliqui (vt refert Scotus quæst. 12. prædicamentali) respondent, quòd *aliquis homo*, etsi prædicetur de Petro, Ioanne, &c. sed non vnivocè, sed æquivocè; ly verò, *neq; dicitur de subiecto* positum in definitione primæ substantiæ intelligendam est de prædicatione vnivocæ. Tamen Scotus ibi multis inconvenientibus Logicalibus hanc opinionem infringit, ostendendo prædictas prædicationes esse vnivocas, etsi non prædicati communis, saltem singularis vagæ, & indeterminate sumpti. Vnde concludit, quòd *aliquis homo* non est prima substantia, id est, non significat tantum vnũ suppositum hominis, sicut significat *iste homo*; quod est requisitum ad primam substantiam; & sic non mirum, quòd de Petro, Ioanne, &c. vnivocè prædicetur. Et ad Aristot. respondet, posuisse pro exemplo primæ substantiæ aliquem hominem; quia, cum homo de se indifferens sit ad multas acceptiones, scilicet, pro voce, pro intentione, & pro suppositis, signa omis, & *aliquis* sibi addita indifferentiam ad hoc, vt supponat pro voce, vel pro intentione tollunt, cum determinent illum, vt tantum accipiatur pro suppositis, quamvis adhuc in ista acceptione indifferens maneat ad quodcumque suppositum. Arist.

ergo (inquit Subtilis Doctor) voluit primam substantiam exprimere, ut distinguitur contra secundam, id est, ut ei inest intentio secundæ substantiæ, quodam modo in generali dixit, *ut aliquis homo*, id est, quodlibet, quod est iste homo.

QVÆSTIO III.

Quæ sint illa, quæ in hoc prædicamento collocantur?

HÆC quæstio solum exagitur propter corpora cælestia, propter Angelos, propter Deum, & propter Christum Dominum; nam ceteras substantias certum est collocari in hoc prædicamento, vel per se, si fuerint substantiæ completæ, vel reductivè, si fuerint partiales, & incompletæ iuxta dicta cap. 4. disp. vnica q. 2. a num. 12.

2 Et in primis loquendo de corporibus cælestibus conveniunt omnes, (excipe Averroem 1. de cælo tex. 49. Numphium, & Gandabû hoc capite, qui moti autoritate illa Arist. 10. Metaph. c. ultimo, *corruptibile, & incorruptibile differunt genere*, oppositum affirmant) corporea cælestia in hoc substantiæ prædicamento collocari. Ita Scotus in 4. d. 6. q. 10. lit. M. Et ratio est; quia, cum istæ substantiæ non solum sint finitæ, sed etiam sint compositæ ex mate-

ria, & forma, non est, nec apparet ratio, cur ab ipsis non possint abstrahi rationes cõmunes, & particulares induentes rationem generis, & differentiæ; quæ est conditio requisita ad hoc, ut aliqua substantia cõpleta per se in hoc prædicamento collocetur.

3 Nec autoritas Aristotel. multum vrget; nam (ut benè responderet Scotus loco citato, & communiter omnes alij interpretes) ibi Aristot. per genus non intelligit genus Logicum, quale est prædicamentum, sed genus Phycum; qua ratione non dicuntur eiusdem generis, nisi illa, quæ sunt transmutabilia adinvicem. Hoc autem non impedit, quod possint sub eodem genere Logico, & cõsequenter sub eodem prædicamento collocari.

4 De Angelis conveniunt etiã omnes, (exceptis, præter Averroem, & citatos, Alberto Magno, & Ægidio) collocari per se in prædicamento. Ita Scotus loco citato, & in 1. distinct. 8. quæstione 2. & in 2. distinct. 3. quæstione 6. & quolib. 2. estque expressa sententia Aristot. 5. Metaphys. cap. 8. tex. 15. vbi ait, demones in hoc prædicamento collocari. Et ratio est; quia, cum Angeli sint substantiæ finitæ capaces compositionis ex actu, & potentia, (Est enim in eis compositio ex subiecto, & accidentibus, quæ recipiunt, & ex esse, & existentia; alias de eorû essentia esset actual-

le esse) Nil obstare poterit ad hoc, ut conceptus spiritus, & substantia, qui ab eis abstrahantur, habeant rationem generis, & conceptus incorporei rationem differentia.

5 Nec refert, quòd Aristotelis 9. Metaphys. tex. 22. & 10. Metaphysic. textu 30. appellat Angelos substantias simplices, & semper in actu; quia hoc solum dicit, quia non sunt compositi ex materia, & forma, nec habent potentiam contradictionis ad essendum, & non essendum. Et si dicas, compositio Metaphysica ex genere, & differentia fundatur super compositionem ex materia, & forma: (aliàs non rectè diceremus, genus sumi à materia, & differentiam à forma) ergo, si Angeli non sunt compositi ex materia, & forma, neque etiam erunt compositi ex genere, & differentia. Respondetur negando maiorem: in quo autem sensu sit accipiendum illud commune proloquium, *genus sumitur à materia, &c.* explicuimus cap. de Differentia disputatione 1. questione 4.

6 De Deo sunt, qui affirmant, collocari in prædicamento isto. Ita Gregorius de Arimino, & Gabriel in primo distinctione 8. questione 3. Holcoht. questione 6. Et probant: primò authoritatibus. Prima est D. Aug. qui ferm. 1. de Epiphania, & 5. de Trinitat.

capite 8. asserit, duo tantum prædicamenta, substantiam, scilicet, & relationem propriè, & formaliter esse in Deo; reliqua verò metaphoricè; *name est bonus sine qualitate, magnus sine quantitate, aternus sine tempore, præsens sine situ, omnia movens sine sui transmutatione, &c.* Secunda est Aristot. qui 4. Topicorum capite 2. loco 17. ait, Deos esse in genere animalis, & separari ab homine per differentiam *immortale*.

7 Secundò probant hac ratione. Si aliquid obstaret ad hoc, ut Deus poneretur in prædicamento substantia, hoc esset, esse substantiam infinitam: sed hoc non obstat: ergo nil. Probant minorem; nam, si per possibile, vel impossibile daretur linea infinita secundum longitudinem, poneretur in prædicamento quantitatis; & si daretur calor infinitè intensus, poneretur in prædicamento qualitatis: ergo ad hoc, ut aliquid ponatur in prædicamento nil obstat infinitas.

8 Vera, & communis sententia, tam apud Philosophos, quam apud Scholasticos, & Patres, tenet oppositum, scilicet Deum non collocari in prædicamento substantia, neque in aliquo alio. Ita ex Philosophis docuerunt Mercurius Trimegistrus in Epimandro capite 1. Averroës disputatione 7. contra Al-

Ec gace-

gacelem, Avicena 8. Metaphys. capite 4. Ex Sanctis Patribus id expressè docuerunt D. Augustin. libro de Cognitione veræ vitæ capite tertio, & septimo de Trinitate capite quinto aliàs 32. Dionysius de Divinis nominibus capite quinto, Anselmus in Monologio capite 26. Boëtius libro primo de Trinitate capite sexto. Ex Scholasticis Subtilis Doctor in primo distinctione 8. quæstione 3. §. *Tenno opinionem meam;* & ibi eius interpretes. Angelicus Doctor primo contra gentes capite 24. & 25. & prima parte, quæstione tertia, articulo quinto, noster Alexander Alensis prima parte quæstione 28. membro quinto, articulo secundo & tertio, & omnes alij, tam veteres, quam recetiores præter allegatos pro prima sententia.

9 Ratio pro ipsa est; quia ad rationem generis necessarium est, ut realitas, à qua desumitur, sit in potentia essentiali respectu illius realitatis, à qua desumitur conceptus differentialis. (ut ex Aristotele, & per rationes demonstrat Scorus loco citato; quas authoritates, & rationes ad idem probandum nos adduximus capite de Æquivocis, &c. disputatione secunda, quæstione tertia, numero 31.) Sed in Deo realitas, à qua desumitur conceptus communis substantiæ, vel viventis, &c. non est in potentia essen-

tiali respectu realitatum, à quibus desumuntur conceptus differentiales intellectualis, spiritalis, &c. ob summam identitatem realem, quæ his realitatibus ratione infinitatis competit: (ut ostendi loco citato quæstione 2. numero 30. & 31.) ergo à Deo non possumus abstrahere conceptus communes, qui induant rationem generis, nec speciales, qui induant rationem differentie. Quod est per se requisitum, ut aliquid in prædicamento collocetur.

10 Ad authoritates in contrarium adductas respondetur. Ad D. August. solum colligi ex verbis eius in Deo esse substantiam, & relationem verè, & propriè, & formaliter, & non per metaphoram, sicut sunt cætera prædicamenta; non verò colligi Deum esse in prædicamento substantiæ, vel relationis; quia, sicut vera substantia, & relatio abstrahit à finita, & infinita, ita & ab illa, quæ ponitur, & non ponitur in prædicamento.

11 Ad authoritatem Aristot. respondetur, nomine Deorum non veros Deos intellexisse, cum certum sit secundum ipsam, tantum esse unicum verum Deum; sed intellexisse substantias quasdam superiores habentes corpora subtilissima, quas plures Philosophi Gentiles rationales esse dixerunt, & ab homine differentes eo quod essent immortales; & de eis dixit Aristot. in prædicamento substantiæ

tiz collocari, data hypotesi, quod darentur.

12 Ad rationem respondetur, solam infinitatem simpliciter, qualis est, quam habet Deus, obstare ad hoc, vt aliquid ponatur in prædicamento, non verò infinitatem secundum quid, qualis esset linea, & calor in dictis suppositionibus.

13 De Christo Domino dicendum est cum communi sententia, à qua nullibi discedit Scotus, (deceptus enim est Cursus Carmelit. dum pro opposita sententia citat Doctorem Subtilem in 3. distinctione 7. quæstione 1.) secundum naturam humanam collocari per se in prædicamento substantiæ; nam secundum istam naturam, *est verus homo ex anima rationali, & humana carne subsistens*, vt definit Alexander III. & refertur, *Extra de hæreticis*, cap. *Cum Christus*: ergo eodem modo, vt sic, debet collocari in prædicamento, sicut collocantur cæteri homines.

14 Est autem advertendum, quod, cum naturæ substantiales non ponantur in prædicamento (vt ex dictis capite quarto de Divisione incomplexorum disputatione vnica, quæstione secunda, numero 24. constat) significare in abstracto, sed in concreto, qua ratione connotant suppositum, & in natura humana Christi Domini connotatum sit ipsum di-

uinū Verbū. Dicendū est, Verū diuinū poni in prædicamento substantiæ, non secundum se, & absolute, sed præcisè quatenus sustentat naturam humanam Christi Domini.

15 Nec valet, si obijcias. Christus ponitur in prædicamento substantiæ: Christus est Deus: ergo Deus ponitur in prædicamento. Variatur enim appellatio; nā poni in prædicamento, quod in maiori appellat supra Christū ratione naturæ humanæ, in consequentia appellat supra Deum ratione naturæ diuinæ. Valeret autem consequentia, si nō absolute inferres: ergo Deus ponitur in prædicamento, sed cum hoc addito: ergo Deus ratione naturæ humanæ ponitur in prædicamento.


16 Dices: Christus Dominus non dicitur creatura: ergo nec dici poterit in prædicamento collocari; siquidem in prædicamento solum entia creata collocantur. Responderetur Christum, etsi absolute non dicatur creatura, tamen cum addito *secundum naturam humanam* optime creaturam appellari; (vt docuit Scotus in tertio distinctione vndecima, quæstione prima, littera D.) ac per consequens, si argumentum aliquid probat, probat solum, non posse dici absolute, Christum esse in prædicamento, sed cum addito *secundum naturam humanam*. Imò addo, (& est doctrina Scoti loco

citato quaestione secunda) neque argumen-
 tum hoc convincere; nam, si hoc prædicatum, *crea-
 tura*, non potest de Christo Domino dici absolute, est, quia
 creari, cum sit per se indifferens ad naturam, & suppositum, si
 absolute diceretur de Christo, appelleret supra
 suppositum secundum se, & redderet propositionem hæreticam. At collocari in

prædicamento, cum sit prædicatum solum per se
 conveniens naturis, etiam si absolute dicatur
 de Christo Domino, non appelleret supra
 suppositum secundum se, sed ratione naturæ
 humanæ, sicut hæc prædicata, mortuus, flagellatus,
 &c. & sic poterit absolute de Christo
 prædicari.

... in hoc prædicamento, cum sit prædicatum solum per se
 conveniens naturis, etiam si absolute dicatur de Christo
 Domino, non appelleret supra suppositum secundum se,
 sed ratione naturæ humanæ, sicut hæc prædicata, mortuus,
 flagellatus, &c. & sic poterit absolute de Christo prædicari.

... in hoc prædicamento, cum sit prædicatum solum per se
 conveniens naturis, etiam si absolute dicatur de Christo
 Domino, non appelleret supra suppositum secundum se,
 sed ratione naturæ humanæ, sicut hæc prædicata, mortuus,
 flagellatus, &c. & sic poterit absolute de Christo prædicari.



... in hoc prædicamento, cum sit prædicatum solum per se
 conveniens naturis, etiam si absolute dicatur de Christo
 Domino, non appelleret supra suppositum secundum se,
 sed ratione naturæ humanæ, sicut hæc prædicata, mortuus,
 flagellatus, &c. & sic poterit absolute de Christo prædicari.

... in hoc prædicamento, cum sit prædicatum solum per se
 conveniens naturis, etiam si absolute dicatur de Christo
 Domino, non appelleret supra suppositum secundum se,
 sed ratione naturæ humanæ, sicut hæc prædicata, mortuus,
 flagellatus, &c. & sic poterit absolute de Christo prædicari.

CAPVT

CAPVT SEXTVM

DE QVANTITATE.

TEXTVS. *Quantum autem partim, & continuum: partim discretum, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN TENTVM Aristot. in hoc capite est agere de quantitate: dividiturque in duas partes. In prima, subintellecta quadam divisione quantitatis, ponit alias duas. In secunda enumerat tres proprietates quantitatis.

Prima divisio, quam subintellegit Aristot. & in fine capitis expressè tradit, talis est. Quantum, aliud per se, aliud per accidens. Quantum per se est, quod ex se habet extensionem, vt linea, &c. Quantum per accidens, quod extensionem accipit ab alio, vt albedo, paries, &c. Secunda divisio; quantum per se, aliud discretum, aliud continuum. Quantum discretum est, cuius partes non sunt copulatæ aliquo termino communi. Et huius duas enumerat species, scilicet numerum, & orationem. Quantum continuum est, cuius partes copulantur termino aliquo communi. Et huius

quinque enumerat species, scilicet lineam, superficiem, corpus, tempus, & locum. Tertia divisio est; quantum, aliud est habens positionem partium in continuo, vt linea, superficies, corpus, & locus. Aliud non habens talem positionem partium, vt tempus, numerus, & oratio.

In secunda assignat proprietates quantitatis dicens, quod prima proprietates est non habere contrarium. Quod si aliquis obiiciat, multum contrariari pauco; & magnum parvo. Respondet, hæc non esse contraria, sed opposita relativè: nam vnum non dicitur multum, aut magnum, &c. in ordine ad se, sed ad aliud. Secunda proprietates est, non recipere magis, aut minus. Tertia, & maximè propria, quod ab illa æquales, vel inæquales denominamur. Hæc in littera.

ANNOTATIONES

circa literam:

1 **C**IRCA ordinem procedendi annotandum est, meritò post substantiam Aristot. egisse de quantitate, quia inter accidentia quãtitas est proximior substantiã, cum immediatè ipsi inheareat, cetera verò accidentia media quantitate; & insuper est similior; nam, sicut substantia, ut quod substantia accidentibus, ita quantitas, ut quo pluribus accidentibus substantia; & sicut proprium est substantiã non suscipere magis, aut minùs, neque habere contrarium, ita & quantitas.

2 Sunt autem interpretes maxime solliciti, cur hoc loco non definièrit Aristot. quantitatem in communi, sicut definit relatione, & qualitatem duobus subsequentibus capitibus? Existimo dicendum esse, quòd quia eius institutum in his capitibus erat disponere naturas in prædicamentis, non verò aperire quidditates earum, idèd non fuit sollicitus de definienda quantitate in communi, sicut neque de definienda substantia, nec sex ultimis prædicamentis, sed solum fuit sollicitus de quantitatis divisione, & subdivisione. Quia hoc ad dispen-

dum naturas in prædicamentis necessarium erat.

3 Circa id, quod dicit Aristot. in secunda divisione, scilicet, quantum discretum esse illud, cuius partes non copulantur termino communi: quantum verò continuum, cuius partes prædicto termino communi copulantur; annotandum est, terminum communem appellari quodcumque indivisibile, ita coniungens partes quantitatis, ut sit finis unius, & principium alterius, verbi gratia, in linea puncta intermedia, in superficie lineã, in corpore superficies, &c.

4 Circa tertiam divisionem annotandum est, positionem partium in continuo (quã nil aliud est, quã ordo, quem partes continuã existentes in loco dicunt inter se, verbi gratia, quòd una sit sursum, alia deorsum, una sit dextera, alia sinistra, &c.) posse dupliciter sumi, scilicet formaliter, & fundamentaliter. Si formaliter sumatur, positio partium in continuo spectat ad prædicamentum firmum; & consequenter divisio ista erit subiecti in accidentia. Si verò sumatur fundamentaliter, scilicet pro illa capacitate, quã est in linea, superficie, & corpore, ut par-

partes eius continuæ existentes in loco disponantur secundum talē, vel talem ordinem inter se, positio partium erit quid per se spectans ad quantitatem, & consequenter divisio quāti in quantum habens positionem partium in continuo, & in quantum non habens positionem partium in continuo, erit per differentias intrinsecas, & essentielles. Sunt autem dux cōditiones necessariæ in quātitate ad hoc, vt dicatur habere positionem partium in continuo. Prima, vt partes eius sint continuæ. Secunda, vt sint permanentes. Defectu prioris conditionis reijciuntur à quanto habente positionem partium in continuo nu-

merus, & oratio. Et defectu posterioris tempus.

5 Circa proprietates annotandum est, primam, & secundam non competere quantitati in quarto modo, siquidem non solum quantitati, sed etiam substantiæ conveniunt. Tertia verò convenit quarto modo; quia omni quantitati, soli, & semper competit.

6 His annotatis circa textum, vt clara methodo procedamus, caput hoc dividam in tres disputationes. In prima agam de natura, & proprietatibus quantitatis in communi. In secunda de speciebus quantitatis continuæ. In tertia de speciebus quantitatis discretæ.

DISPUTATIO PRIMA.

De natura, & proprietatibus quantitatis in communi.

DE natura, & proprietatibus quantitatis in communi quinque sunt, quæ communiter inquiruntur. Primum, *Quæ sit essentialis ratio quantitatis?* Secundum, *Vtrum substantia sine quantitate partes habeat?* Tertium, *Quæ sint quantitatis proprietates?* Quartum, *Vtrum quantitas distinguatur realiter à re quanta?* Quintum, *Quales sint divisiones quantitatis adductæ ab Aristot. in hoc capite?*

QVAESTIO PRIMA.

Qua sit essentialis ratio quantitatis?

1 **P**RO intelligentia quaestio-
 nis advertendum est
 ex Scoto in i. d. 19. q. 1.
 & ex D. Tho. 1. p. q. 42.
 art. 1. ad primum, & ex D. Aug. 6.
 de Trinit. cap. 8. duplicem esse
 quantitatem; vnam, quae dicitur
 virtutis, & aliam, quae dicitur mo-
 lis. Quantitas virtutis est perfe-
 ctio rei essentialis, vel accidenta-
 lis, secundum quam magna, vel
 parva dicitur, id est, in magno, vel
 paruo perfectionis gradu consti-
 tuta. Quantitas verò molis est
 quoddam accidens, quod in sub-
 stantia corporea inhaerens par-
 tes eius sic facit extensas, vt mo-
 lem, & magnitudinem eis tri-
 buat.

2 Cum igitur inquirimus, quid
 sit essentialis ratio quantitatis? nõ
 est sermo de quantitate virtutis;
 quia hæc non est generalissimum
 genus huius prædicamenti, sed
 per omnia prædicamenta divaga-
 tur; cum in omni prædicamento
 sua propria perfectio reperiat. Imò
 reperitur in Deo, qui in nullo
 ponitur prædicamento; & ra-
 tione illius dicitur in Psalmo 47.
Magnus Dominus, &c. Sed est ser-
 mo de quantitate molis, quae est
 genus generalissimum huius præ-
 dicamenti. Quam his verbis defi-
 nitivè Aristor. 5. Metaphys. cap. 7.

*Quantum est divisibile in ea, quae
 insunt, quorum utrumque, vel
 unumquodque, unum quid, & hoc
 aliquid aptum est esse.*

3 In qua definitione *divisibile*
 ponitur loco generis, in quo con-
 venit quantitas cum mixto, & cõ-
 posito naturali, quae divisibilia
 sunt, & differt à puncto, & cæteris
 indivisibilibus. Reliquae verò par-
 ticulae ponuntur loco differentiae;
 nam per ly, *in ea, quae insunt*, quod
 idem est, ac in ea, quae in ipso sunt
 formaliter, differt quantum à mix-
 to; quod non dividitur in ea, quae
 in ipso erant formaliter, sed in ea,
 quae in ipso erant virtualiter, sci-
 licet in elementa. Per reliqua ve-
 rò differt quantum à composito
 naturali; nam de partibus, in quas
 dividitur compositum naturale,
 scilicet de materia, & forma, non
 est verum dicere, quòd utraque,
 vel quaecumque seorsum sumpta
 sit *unum quid*, aut *hoc quid*, id
 est, unum habens esse completum,
 & perfectum, sicut est verum de
 partibus, in quas dividitur quan-
 tum.

4 Secundò advertendum est,
 plura nos posse in quantitate con-
 siderare, de quibus dubitari po-
 test, in quonam illorum essentia
 quantitatis consistat? Nam in pri-
 mis potest in quantitate excogi-
 tari

rari finitas actualis, & infinitas potentialis. Secundò æqualitas, & inæqualitas. Tertiò ratio mensuræ, tam activæ, quam passivæ. Quartò divisibilitas, quæ ab aliquibus dividitur (sicut & ratio mensuræ) in passivam, & activam formalem: appellando divisibilitatem passivam, aptitudinem, quæ est in quantitate ad hoc, ut in partes dividatur. Divisibilitatem verò activam formalem aptitudinē, quam habet ad hoc, ut subiectum, quod informat, in similes partes dividat, quas ipsa habet in se. Quintò extensio partium, siue habere partes extra partes. Quæ extensio, seu exclusio partis à parte dupliciter potest explicari; vel in ordine ad se: qua ratione illud dicitur habere partes extensas, seu partes extra partes, in quo entitas unius partis non est entitas alterius: vel in ordine ad spatium: qua ratione illud dicitur habere partes extensas, seu partes extra partes, in quo una pars excludit aliam à coexistentia in eodem spatio, si hic ordo fuerit actualis, vel saltē natura sua hoc petat, si ordo iste fuerit aptitudinalis. Unde, cum spatium triplex sit: est enim spatium loci; qua ratione dicere solemus, aliquid esse in spatio unius vlnæ, seu unius palmi: & spatium durationis; qua ratione sæpè dicimus, prædicatorem concionasse per spatium unius horæ: & spatiū discretionis; qua ratione frequenter dicimus, in spatio centenarij

reperiri quinquaginta binarios; hic est, ut extensio, seu exclusio partis à parte in ordine ad spatiū subdividatur in extensionem, seu exclusionem partis à parte in ordine ad spatium loci, & in ordine ad spatium durationis, & in ordine ad spatium discretionis.

5 His suppositis conveniunt omnes, æqualitatem, & inæqualitatem, & similiter finitatem in actu, & infinitatem in potentia non esse rationem essentialē quantitatis, sed solū esse quasdam illius proprietates. Tūm, quia Aristot. 1. Physic. tex. 15. expressè docet, finitum, & infinitum esse passionēs quantitatis: & idem docet in hoc capite de æqualitate, & inæqualitate. Tūm etiam, quia quantitatem esse finitam in actu, & infinitam in potentia, esse æqualem, vel inæqualem supponit, ut quid prius, & consequenter, ut magis intrinsecum in quantitate, habere partium extensionem, secundum quā dicatur æqualis, & inæqualis, finita, & infinita quantitas: neutrum ergo horum est ratio essentialis quantitatis.

6 Circa alias verò rationes, quæ excogitari possunt in quantitate, magna est controversia apud Authores; nam quidam dicunt, rationem essentialē quantitatis consistere in ratione mensuræ. Pro hac sententia citatur Albertus Magnus tract. 8. c. 1. & eam tribuit Toletus, Caietan. & videtur expressa sententia D. Thom.

opus. 52. circa finem, ubi ait: *propria ratio quantitatis, qua competit quantitati, quatenus quantitas est, ratio est mensura.* Et videtur colligi ex Aristot. Primò, quia in hoc capite traduntur ab Aristot. locus, & superficies, vt duæ species quantitatis. Sed locus, & superficies nõ differunt in extensione partium, neque in divisibilitate: habent enim easdem extensiones, & easdem divisibilitates; sed solum differunt in ratione mēsuræ: nam superficies est mēsurā intrinseca; quia verè inhæret in corpore, cuius est mensura: locus autem est mensura extrinseca; cum non inhæreat corpõri, cuius est mensura: ergo ratio mēsuræ, & non extensionis partium, vel divisibilitatis. Est secundum Aristot. essentia quantitatis. Secundò, quia probans Aristot. orationem esse quantitatem, hoc probat, quia est mensurabilis syllaba longa, & brevis: supponit ergo rationem mēsuræ, & mensurabilis esse rationem essentialē quantitatis.

7 Hæc sententia absque dubio falsa est. Primò, quia nil prius competit rei, quàm eius ratio essentialis. Sed esse mensuram, tam actiuam, quàm passivam, non est primum, quod competit quantitati: ergo ratio mēsuræ non est essentia quantitatis. Probo minorem; nam quantum esse mensuram, vel mensurabile supponit habere partes extensas: hæc enim causalis est vera, quia quantitas

habet partes extensas, est mensura, vel mensurabilis, & non è contra. Secundò, quia ratio mēsuræ formaliter est relatio. (vt docuit Aristot. 1. Metaph. cap. 2.) Sed relatio non est essentia absoluti: ergo neque mensura erit ratio quantitatis; quæ quid absolutum est. Tertio, impossibile est, dari rem sine sua essentia. Sed dari potest quantitas sine ratione mēsuræ: ergo, &c. Probo minorem, quia, si daretur linea infinita, esset quantitas, & tamen lineæ infinitæ repugnat esse mensuram, vel mensurabilem.

8 Ad authoritates Aristotel. respondetur. Ad primam, Aristot. non enumerasse hæc superficiem, & locum, vt species quantitatis essentialiter diversas, sed solum, vt species quantitatis accidentaliter diversas. (vt latius dicam disp. 2.) Ad secundam, Aristot. probasse orationem esse quantitatem per mensuram à posteriori, & tanquam per proprietatem, non verò à priori, & tãquam per essentialiam.

9 Propter hæc dixerunt alij, rationem essentialē quantitatis esse divisibilitatem. Hanc sententiam secuntur, quàm plures Thomistæ; Soneinas 5. Met. q. 21. Iabellus q. 20. Flandria. q. 14. art. 4. Caprecol. in 2. d. 3. q. 1. ar. 3. ad 1. & citari pro ipsa solent D. Th. in 1. d. 19. q. 1. ar. 2. ad 1. & 5. Met. lect. 15. & Scotus in prædicamentis q. 17. Et quamvis omnes hi Authores loquantur de divisibilitate pas-

fra; tamen non deest, qui affirmat, esse intelligendos de divisibilitate, non passiva, sed activa formalis.

10. Probari solet hæc sententia: primò ex Aristot. qui 5. Metaph. cap. 13. ut supra vidimus, quantitatem definiit per divisibilitatem in ea, quæ insunt, &c. sentit ergo Aristotel. quantitatis essentiam esse divisibilitatem: aliàs nõ per divisibilitatem, sed per aliud, quod esset essentia quantitatis illam definiret. Secundò, quia communiter Authores distinguunt species quantitatis per diversas rationes divisibilitatis: dicunt enim, divisibile secundum unam dimensionem (puta secundum longitudinem) esse lineam, & divisibile secundum duas dimensiones, (puta secundum longitudinem, & latitudinem) esse superficiem, & divisibile secundum trinam dimensionem (puta secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem) esse corpus, & sic de reliquis.

11. Sed hæc sententia (nisi intelligatur de divisibilitate pro radice, qua ratione divisibilitas, tam passiva, quam activa formalis, idè est, quòd extensio partium) neque est Scoti, neque vera. Non Scoti; nam Scotus 5. Met. q. 9. expressè affirmat, divisibilitatem, per quã Aristot. loco supra citato quantitatem definiit, esse passionem quantitatis, & non essentiam: ergo, quando in prædicamentis q. 17.

docet, divisibilitatem esse essentiam quantitatis, debet intelligi (ne sibi met. contrarietur) de divisibilitate pro radice. Verba Scoti sunt. *Concedo tamen, quòd divisibilitas est prima passio quantitatis, & non de essentia eius. Unde sicut hæc est per se secundo modo, color est visibilis, sic hæc, quantitas est divisibilis.* Et aliquibus interiectis. *Unde quantitas rotificatur hic (scilicet per definitionem Arist. supra adductam) per proximam passionem eius, & non definiatur. Quid clarius?*

12. Non est vera. Primò, quia essentia non potest demonstrari de subiecto, nam essentia est omnium primum in quacumque re. Sed Aristot. 6. Physic. cap. 1. demonstrat de quanto continuo, quòd sit divisibile in semper divisibilia: ergo supponit Aristot. divisibilitatem nõ esse essentiam, sed passionem quantitatis. Secundò, quia in quantitate hoc, quòd est esse divisibile, seu esse formaliter divisivam subiecti, quòd informat, supponit necessariò habere partes extensas, & quarum una sit extra aliam: ergo divisibilitas, tam passiva, quam activa formalis nequit esse essentia quantitatis. Consequentia est manifesta. Antecedens patet; nam ratio, ob quam quantitas est divisibilis, vel divisiva formaliter, est; quia quantitas habet partes extensas, & quarum una est extra aliam.

13 Neque in contrarium adducta alicuius sunt momenti. Ad Scotum patet ex dictis, necessario esse intelligendum de divisibilitate pro radice. Quo etiam pacto explicant D. Thom. & alios Authores recentiores Thomistæ. Neque etiam interest, quod Arist. definierit quantitatem per divisibilitatem, & quod communiter Authores distinguant species quantitatis per diversas divisibilitates; nam non solum per essentiam, sed sæpe etiam per passionem (præsertim proximam, ut est divisibilitas secundum Scotum loco citato) res nobis notificantur, & una species ab alijs distinguuntur.

14 Vera igitur, & iam recepta apud omnes recentiores sententia est, quam satis insinuant Scotus, præter locum *Metaphysic.* supra citatum, in 4. d. 10. q. 1. lit. M & in fine illius quæstionis, & D. Tho. 1. p. q. 14. art. 1. ad 1. & 4. contragentes c. 65. & 3. p. q. 77. art. 2. scilicet essentiam quantitatis consistere in extensione partium, siue, quod idem est, in hoc, quod est habere partes extra partes. Et ratio à priori est, quia illud est essentia quantitatis, quod intelligitur per se primò quantitati convenire, & ratione cuius cætera quantitati conveniunt. Sed extensio partium, seu habere partes extra partes est, quod per se primò quantitati in communi, & quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, convenit; & ratio

ne eius conveniunt cætera, scilicet esse divisibilem, seu esse formaliter divisivam, esse mensuram, vel mensurabilem, esse æqualem, vel inæqualem, esse finitam actu, & infinitam in potentia: ergo extensio partium, seu habere partes extra partes est essentia quantitatis.

15 Sed quia (ut in secundo notabili animadverti) extensio partium, seu habere partes extra partes dupliciter potest excogitari, scilicet vel in ordine ad se, vel in ordine ad spatium; & hoc ultimū adhuc tripliciter, scilicet vel in ordine ad spatium loci, vel in ordine ad spatium durationis, vel in ordine ad spatium discretionis; & insuper hic ordo ad spatium potest esse actualis, & aptitudinalis, idè non parva est inter recentiores controversia, in quam ex his extensionibus essentia quantitatis consistat?

16 Prima sententia docet, hanc extensionem partium, quæ est essentia quantitatis, non esse extensionem partium in ordine ad spatium, neque actuali, neque aptitudinali; sed extensionem partium in ordine ad se, quæ consistit in hoc, quod una pars non sit alia. Ita Capreolus in 2. d. 3. q. 1. ar. 3. & latius d. 18. q. 1. Ferrara 4. contragentes cap. 87. Sotus in hoc cap. q. 1. ad 1. & ibidem Massius sect. 1. q. 3. Sanchez lib. 5. Logicæ q. 15. Nuño 3. p. q. 76. artic. 4. Arauxo 5. *Metaph.* q. 3. ar. 1. Vazquez

(quez to. 3. in 3. partem disp. 190. cap. 3. a num. 20. Cursus Carmel. disputatione 13. quæst. 2. Gallego controver. 24. qui plures alios citat, & dicit esse D. Thom. locis supra citatis.

17 Fundamentum istorum est, quia prius est in quantitate extendere substantiam in ordine ad se, quam in ordine ad spatium: ergo in priori extensione debet eius essentia consistere. Et confirmatur; quia vnum prædicamentum non potest pertinere ad essentiam alterius. Sed commensuratio partium ad spatium non spectat ad prædicamentum quantitatis, sed vel ad prædicamentum *ubi*, si sit commensuratio ad spatium locale; vel ad prædicamentum *quando*, si est commensuratio ad spatium durationis: ergo essentia quantitatis non potest consistere in extensione partium in ordine ad spatium. Quibus accedit, posse manere quantitatem sine extensione in ordine ad spatium, vt videri est in quantitate corporis Christi existentis in Eucharistia; cuius partes non sunt extensæ in ordine ad spatium locale, cum omnes sint simul in eodem loco.

18 Hæc sententia nobis non placet. Et ratio est; quia habere extensionem partium, seu habere partes extra partes in ordine ad se, id est, distinctas entitative, & ita, quod vna non sit alia; competit etiam substantijs, & qualitibus inclusa omni quantitate: (vt

quæst. sequenti ex professo demonstrabimus) ergo non potest in ista extensione essentia quantitatis consistere: alias essentia separari posset à re, cuius est essentia.

19 Secunda sententia est, quæ tribuitur Nominalibus, nostro Ochamo in Logica cap. de Quantitate; & in 4. d. 4. & tractatu de Eucharistia cap. 29. & Gabrieli in 4. d. 10. videlicet, hanc extensionem partium, quæ est essentia quantitatis consistere in extensione actuali in ordine ad spatium locale. Et probari solet: primò, quia supposito, quod extensio partium in ordine ad se non est essentia quantitatis, quia (vt supponimus probandum quæst. sequenti, substantijs, & qualitibus materialibus hoc etiam est commune), non apparet, in quo possit poni, nisi in hoc, quod est, partes esse extensas in ordine ad spatium locale, ita vt vna excludat aliam ab eodem loco, & sit impenetrabilis cum illa.

20 Secundò; quia nulla ratio assignari potest, cur duæ substantiæ, aut duæ qualitates materiales sint penetrabiles, non verò duæ quantitates, (supposito quod hæc omnia habeant partes entitative extensas, id est, quarum vna non sit alia) nisi dicamus, hoc esse, quia substantiæ, & qualitates materiales solum habent partes extensas in ordine ad se; at quantitates habent illas extensas, non solum in ordine ad se, sed etiam in ordine

ad

ad locum; & hanc extensionem esse illis essentialem.

21 Sed, præterquam, quòd hæc sententia non explicat, in quo consistat essentia quantitatis in communi, & quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, sed solius cuiusdam illius speciei, scilicet, quantitatis continuæ permanentis; hæc enim sola est, quæ includit partes extensas in ordine ad spatium locale; nam quantitas discreta, ut sunt numerus, & oratio, & ex continuis successivæ, ut tempus, non habent partes extensas localiter; præter hoc (inquam) adhuc loquendo de quantitate continua permanēte, nullatenus admittenda est, nam negari non potest absque ingentitēmeritate, corpus Christi Domini in Eucharistia habere veram quantitatem cōtinuam, & permanētem, aliàs non verè diceretur corpus; & tamen certissimum est, illam quantitatem esse ibi sine extensione locali; nam (ut fides docet) nō solum substantia corporis Christi, sed etiam eius quantitas est tota in toto loco hostiæ, & tota in qualibet eius parte.

22 Dicendum igitur nobis est, extensionem partium, seu habere partes extra partes, quæ est essentia quantitatis in communi, & quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, consistere in extensione partium in ordine ad spatiū, etiam in cōmuni, & prout abstrahit à locali, durationis, & discre-

tionis sumptum; in ordine (inquā) non a cōtuali, sed a pritudinali. Itaque essentiam quantitatis in communi sumptæ, & quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, in eo constituimus, scilicet in extensione partiū, quæ natura sua petunt esse in diversis spatijs, neque in vno, & eodem possunt penetrari, abstrahendo à spatio locali, vel durationis, vel discretionis.

23 In hac conclusione conveniunt nobiscum multi recētiores. Suarez in Metaph. disp. 40. sect. 4. Didacus à Iesu disp. 13. quæst. 5. Hurtado disp. 13. Metaph. sect. 4. Martinus in hoc. cap. disp. unica, q. 1. Torrejon disp. 3. q. 1. Caber. disp. 2. dub. 1. Et in ea convenire debent omnes, qui affirmant, substantias, & qualitates materiales habere extensionem entitativam partium, nec eam à quantitate recipere, quos quæst. sequenti referemus. Et meo videri eam efficaciter probant duo argumenta adducta pro sententia Nominalium, si ea extensioni partiū, non in ordine a cōtuali ad spatium localem, (ut ipsi fecerunt) sed in ordine a pritudinali ad spatium, ut abstrahit à locali, durationis, & discretionis, accommodemus.

24 Et confirmari nunc potest, quia hæc extensio in ordine a pritudinali ad spatium in communi sumptum, & prout abstrahit à locali, durationis, & discretionis, non solum est primum, quod considerare possumus in quantitate

tate in communi, & provt abstrahit à discreta, & continua, à permanente, & successiva, & ad quod cætera alia consequuntur, scilicet, quòd sit divisibilis, seu divisiva formaliter, quòd sit æqualis, & inæqualis, quòd sit mensura, & mensurabilis, &c. sed etiam est sine qua ratio quantitatis, quæ est genus generalissimum, excogitari non potest, tam in suo esse constituta, quàm à reliquis, quæ in isto prædicamento collocantur, distincta.

25 Solùm advertendum est, aliquos recentiores ex his, quos pro nostra sententia enumeravimus, & si constituant essentiam quantitatis in extensione partium in ordine aptitudinali ad spatium, sed non loqui de spatio in communi, & provt abstrahit à locali, durationis, & discretionis, sed in speciali de spatio locali. Quæ doctrina, etsi optima sit ad explicandam essentiam quantitatis continuæ, & permanentis, quæ est quædam species subalterna huius prædicamenti, & in qua conveniunt linea, superficies, & corpus; sed non ad explicandam essentiam quantitatis in communi, & quæ est genus generalissimum huius prædicamenti abstrahens à quantitate continua, & discreta, à successiva, & permanente, quod in hac quæstione intendimus: nam quantitatis, vt sic, non potest essentia in ista extensione consistere; siquidem (vt contra Nominales

objiciebamus) neque quantitates discretæ, neque ex continuis, successiva, partes habent extensas in ordine ad spatium locale, sed priores in ordine ad spatium discretionis, & posterior in ordine ad spatium durationis. Sed existimo ex inadvertentiâ fuisse locutos.

26 Ad primum argumentum ex adductis pro primâ sententia responderetur negando antecedens; nam quantitas (vt quæstione sequenti dicam) non tribuit substantiæ extensionem in ordine ad se, cum iam substantia materialis seclusa quantitate habeat; atque adeò primus effectus, quem quantitas substantiæ tribuit, est facere eam extensam in ordine aptitudinali ad spatium.

27 Ad secundum dicimus, probare ad summum id, quod nos contra Nominales statuimus, scilicet essentiam quantitatis non consistere in actuali commensuratione partium ad spatium, quia hæc (vt argumentum probat) potius est *ubi, vel quando*, quàm quantitas; nil tamen probare contra nos, qui non in hac actuali commensuratione, sed in extensione partium, quæ natura sua exigit hanc actualem commensurationem, essentiam quantitatis constituimus.

28 Nec refert, quod objicit Gallego, actus, & potentia sunt in eodem genere, seu prædicamento: ergo si commensurabilitas actualis partium quantitatis ad locum, est

in præ,

in prædicamento *ubi*, etiam erit in prædicamento *ubi* potentia, seu aptitudo, quam dicunt partes quantitatis ad hoc, ut habeant hanc commensurationem ad locum.

29 Respondetur enim cum Scotus in 2. d. 16. q. unica §. *Rationes ista* potentiam, quoad præsens attingit, dupliciter sumi posse. Primum pro principio operandi, & sic dividitur in potentiam activam, & passivam. 7. & 9. *Metaphi.*: in qua significatione potentia est principium transmutandi aliud in quantum aliud, vel ab alio in quantum aliud. Secundum modo sumitur potentia, ut distinguitur contra actum; & potentia sic accepta dicitur potentia obiectiva; in qua sunt res, quando non existunt; sicuti Antichristus nunc est potentia, seu in potentia obiectiva. Si potentia sumatur hoc ultimo modo, verum est antecedens, scilicet potentiam, & actum sub eodem genere; imò (ut dicit Scotus) sub eadem specie, imò sub eodem individuo; nam idem individuum, quod nunc est, verè, fuit prius in potentia obiectiva. Sed in hoc sensu antecedens non est ad rem. Si verò potentia sumatur primo modo, falsum est antecedens; & potest probari instantia accidentis, quod immediate recipitur in substantia, aliàs daretur processus in infinitum, & tamen substantia, quæ est potentia passiva, & accidens, quod est actus illi correspondens, non sunt

in eodem genere, seu prædicamento.

30 Ad tertium responderetur, quantitatem posse optimè manere sine extensione dicente ordinem actualem ad spatium, non verò sine extensione dicente aptitudinaliter ordinem ad spatium. Nec oppositum convincit instantia corporis Christi Domini in Eucharistia; nam etiam si prædicta quantitatis partes non dicant actualem commensurationem ad spatium, dicunt tamen illam aptitudinaliter, id est, talis naturæ sunt, ut supra natura talem commensurationem expostulent, & una petat esse in diverso spatio loci ab illo, in quo est alia, licet miraculosè hoc impediatur.

31 Ad rationes Nominalium dicimus, probare optimè nostram conclusionem, scilicet essentialiter quantitatis in communi consistere in extensione partium exigentium natura sua esse in diversis partibus spatij; non verò id, quod ipsi affirmant, scilicet consistere in extensione partium actualiter existentium in diversis locis: hæc enim exigentia naturalis existendi in diversis partibus spatij, vel localis, vel durationis, vel discretionis, (iuxta diversas species quantitatis) quam habent partes extensionis quantitatis, est, in qua apparet, esse constituendam quantitatis essentialiter; (supposito, quòd substantia materialis habeat extensionem partium entitativam,

& in

& in ordine ad se) & ratione cuius non possunt naturaliter partes quantitatis penetrari in eodem spatio loci, durationis, vel discretionis, iuxta exigentiam quantitatis, bene tamen partes entitativæ substantiæ, vel qualitatis materialis.

QVÆSTIO II.

*Vtrum substantia materialis absq;
quantitate habeat
partes?*

Probavimus quæst. præced. essentiam quantitatis non consistere in extensione partium in ordine ad se, quæ appellari solet entitativa, quia hæc extensio reperitur in substantia materiali seclusa quantitate. Sed quia hoc principium non recipiunt Authores oppositæ sententiæ, ideo hæc erit examinandum. Et quæstio non procedit de partibus essentialibus, tam Physicis, vt sunt materia, & forma, quam Metaphysicis, vt sunt genus, & differentia: hæc enim, cum componant essentiam substantiæ materialis, necessariò ipsam concomitantur. Sed procedit de partibus integralibus, tam homogeneis, quam heterogeneis.

2 Prima sententia defendit, substantiam materiale secundum se, & seclusa quantitate non habere partes integrales entitativas, sed esse omninò inextensam, & indivisibilem, non positivè, si-

cut punctum, cui ex natura sua repugnat habere partes, in quas sic divisibile, sed negativè, hoc est, quia, etiam si actu non habeat partes, est tamen apta, vt eas habeat per quantitatis adventum. Ita Ca preolus locis quæst. præced. citatis, & d. 18. quæst. 1. artic. 3. ad 2. & 4. & in 4. d. 13. quæst. unica ar. 3. ad 1. Caiet. 1. p. q. 52. art. 1. Ferrara 1. Phys. q. 4. Sont. 5. Met. q. 19. & recentioribus Vazq. 1. p. d. 196. c. 3. Sanchez lib. 2. Logicæ q. 15. concl. 7. & Curs. Carmel. disp. 13. de quantitat. quæstione 3. & tribuitur D. Thom. 4. contra gentes cap. 65. & 1. p. quæst. 50. artic. 6. & quolib. 9. q. 4. art. 1. vbi expressè affirmat, seclusa quantitate substantiam esse indivisibilem, neq; habere partes, vt dicitur 1. Phys.

3 Probari solet hæc sententia autoritatibus, & rationibus. Autoritates desumptæ sunt ex Philosopho, qui primo Physicorum capite 2. tex. 5. affirmat, substantiam de se, neque esse finitam, neque infinitam, neque divisibilem; esset autem de se divisibilis, finita, vel infinita, si de se, & seclusa quantitate haberet partes, seu extensionem entitativam. Et in hoc capite affirmat, divisibilitatem, & similiter æqualitatem esse passiones quantitatis in quarto modo. Quod contingere non posset, si substantia de se haberet partes, seu extensionem entitativam, siquidem secundum istam extensionem etiam sub-

Ff stan-

stantia esset divisibilis, æqualis, & inæqualis.

4. Rationes desumuntur, tum ex superfluitate; tum ex impossibilitate prædictæ extensionis entitativè in substantia seclusa quantitate. Ex superfluitate; quia idèd ponitur ab Authoribus oppositæ sententiæ extensio entitativa in substantia, vt ratione illius capax sit recipiendi extensionem quantitativam; nam divisibile non potest recipi in subiecto indivisibili: ad hoc autem minimè videtur necessaria hæc extensio entitativa in substantia; cum accidens solum requirat in subiecto potentiam passivam ad illud recipiendum; non verò quòd habeat actum ipsum accidens; imò oppositum manifestè implicat, nam ante receptionem actus necessariò antecedit in potentia privatio actus.

5. Et confirmatur, nam, si ad recipiendum extensionem quantitatis non sufficeret extensibilitas substantiæ, sed necessaria esset actualis extensio entitativa, idem, servata proportione, dicendum esset de alijs accidentibus; atq; ita vt corpus quantum reciperet *ubi* circumscriptivum, deberet præhabere aliud *ubi* entitativum. Et similiter, vt anima reciperet intellectum, deberet præhabere quandam intellectum entitativum. Et sic de cæteris.

6. Ex impossibilitate probant. Primò, quia ante quantitatem nulla

potest esse in substantia compositio partium integralium entitativarum: ergo neq; extensio, aut divisibilitas talium partium. Antecedens probant; quia, cum compositio partium integralium non fiat ex actu, & potentia, necessariò erit accidentalis, & consequenter non poterit esse in substantia ante quantitatem, cum quantitas sit primum accidens substantiæ corporalis.

7. Secundò; quia distinctio partium substantiæ, etiam eterogenearum, causatur ab accidentibus: ergo his ablatis non manebunt actus partes integrales. Antecedens probant; quia caput, v.g. & manus solum de materiali significant substantiam, de formali verò talem, vel talem figuram cum his, vel illis accidentibus.

8. Tertiò, quia materia prima hominis, remota quantitate, vel est simplex, vel composita? Composita esse non potest; nam aut esset composita prima, vel secunda compositione. Sed non prima; quia hæc fit ex potentia; & actu simpliciter, vt habetur 8. Metaphys. tex. 8. materia autem est pura potentia. Neque etiam secunda; quæ est ex subiecto, & accidenti; quia, remota quantitate à materia, nullum accidens maneret in illa: ergo dicendum est, quòd esset simplex.

9. Quartò, quia materia prima non est actus, sed pura potentia: ergo nõ potest habere distinctionem, seu extensionem partium: probant

bant consequentiam; quia ubi est distinctio unius ab alio necessario intervenit aliquis actus; siquidem actus est, qui distinguit, ex 7. Met. tex. 49. & ubi est maius esse, prius est habere esse.

10 Quinto; quia esse extensum quacumque extensione est esse secundum quid, sicut & esse quales ergo sicut esse quale convenit substantiæ à forma accidentali, ita & esse extensum; & per consequens, sicut ablata qualitate substantia non manet qualis, ita ablata quantitate nullo modo manebit extensa. Antecedens probant, quia illud est esse secundum quid respectu substantiæ; per quod non potest responderi ad questionem factam per quid, vel quod non complet, aut terminat eam inter limites substantiæ. Constat autem ad questionem factam per quid de substantia non responderi per esse extensam, etiam cum addito, *entitativè*. Et similiter extensionem entitativam non esse complementam, aut terminam substantiæ in ratione substantiæ; siquidem neque constituit eam in esse suppositi, aut primæ substantiæ, neque tribuit illi ultimam actualitatem.

11 Sexto, quia ridiculum esset distinguere quoddam esse quale entitativè, & aliud esse quale qualitativè; asserereq; substantiam secundum se esse qualem primo modo, non verò secundo; ergo absurdum etiam, & ridiculum erit, distinguere quoddam esse extensum

entitativè, & aliud esse extensum qualitativè; & illud tribuere substantiæ secundum se, istud verò quantitati.

12 Septimò, quia ex opposita sententia sequeretur, nullum esse quantum per accidens; nam, si semel admittatur in substantia propria extensio ad recipiendū quantitatem, ne divisibile reperitur in subiecto indivisibili; pari ratione in albedine, relationibus, & alijs accidentibus corporeis ponenda est extensio entitativa, ut in quantitate recipiantur, ne indivisibile in subiecto divisibili reperitur. Quæ omnia sunt absurda. Hæc sunt ad litteram argumenta, quibus Cursus Carmelitanus, qui his temporibus maximè in sudavit in excludenda extensione entitativa à substantia materiali, ipsam rejicit, & excludit.

13 Quibus non obstantibus opposita sententia, scilicet substantiæ sine quantitate habere partes, & extensionem entitativam, nobis amplectenda est. Quæ tenent Scotus in 2. d. 12. q. 2. §. Respondeo lit. D. & omnes eius discipuli. Aureolus, Gofredus, & Maior ibid. q. 2. art. 2. Gabriel d. 10. q. 1. Oham. & ceteri Nominales, Suarez in Metaph. disp. 40. sect. 4. Foscalib. 5. c. 13. q. 2. sect. 3. Conimbricenses 1. Phys. c. 2. q. 2. art. 3. Rubius ibidem c. 3. q. 2. Martinus hic disp. unica, q. 1. Caberus disp. 2. dub. 2. Torrison disp. 3. q. 1. Nec videtur aliena à mente D. Tho. in 2. d. 30.

quæst. 2. arr. 1. Estque, ipsis ad-
versarijs consentientibus, recepta, &
plausibilis apud recentiores his
temporibus.

14 Probari solet ab aliquibus
hec sententia. Primò, quia, si Deus
auferret quantitatem in instanti à
substantia Oceani, vel maneret
substantia aquæ Oceani entita-
tivè extensa, vel non? Si maneret
extensa, habeo intentum. Si non;
ergo esset indivisibilis: quod vi-
detur impossibile; primò, quia iã
tota illa substantia aquæ confue-
ret in punctum, movereturq; loca-
liter in instanti. Secundò; quia nõ
videretur maior ratio, cur conflu-
xus istius aquæ fieret in hac parte
Oceani potius, quàm in alio.
Tertiò, quia, qui biberet vnã gut-
tam ipsius aquæ, biberet Ocea-
num, nam indivisibile cum attingi-
gitur, attingitur, secundùm se to-
tum.

15 Tamen hoc argumentum
nullius est roboris, proceditq; ex
falsa imaginatione. Facile enim
respondent adversarij, quòd in
dicta hypotesi maneret substantia
Oceani non extensa entitivè,
sed indivisibilis, non positivè, &
ad modum puncti, (qua ratione
imaginantur illius indivisibilita-
tem, qui ex eo, quòd illa substan-
tia maneret indivisibilis, inferunt
inconvenientiam in argumento ad-
ducta) sed privativè, eo scilicet
quòd caret quantitate, & conse-
quenter ubi que sunt à quibus sub-
stantia illa nunc habet se extensa-

nem, & situationem in loco. Vn-
de non habent locum illa incon-
venientia, quæ adducuntur in ar-
gumento; quia in dicto casu illa
aqua non conflueret in punctum;
nec moveretur localiter; nec ha-
beret guttas; nec bibi, aut tangi
posset; quia ad hæc omnia requi-
ritur extensio quantitativa par-
tium, & situatio in loco.

16 Secundò probari solet hoc
discursu. Si facta divisione alicuius
corporis quanti, ab illis par-
tialibus substantijs Deus sua po-
tentia auferret quantitates, illæ
substantiæ manerent distinctæ.
Supponamus ergo, quòd Deus,
collata eisdem quantitate ablata,
prædictas quantitates vniret, &
iterum post vnionem quantitate
spoliarentur. Tunc inquiri, an il-
læ partiales substantiæ vnium, &
idem fierent? an duo, & diver-
sa manerent? Si primum dicant
adversarij, fatendum est prædi-
ctas partes substantiæ sua princi-
pia individualia amisisse, ipsis per-
manentibus eisdem, quòd est in-
audibile. Si verò posteriùs admit-
tant, relinquunt suam sententiam,
& nostram amplectuntur.

17 Hoc argumentum ad con-
vincendum adversarios, etiam nõ
est efficax: nam rafa fronte respõ-
dent ad ipsum, (& consequenter
ad sua principia) quòd, si facta
divisione alicuius quanti, ab il-
lis partialibus substantijs, in-
quas est scisum, Deus sua poren-
tia auferret quantitates, illæ sub-
stan-

tantia: quæ antea erant distinctæ, iam distinctæ non manerent, quia deficeret eis quantitas, quæ est, à qua habent distinctionem, seu extensionem entitativam. Quæ responsio, etsi falsa sit, tamen eius falsitas per argumentum istud non ostenditur, sed potius præsupponitur.

18 Propter hæc mihi videtur non melius probari posse nostram sententiam, quam à priori ostendendo ipsi adversarij per principia, & causas, substantiam materiale[m] habere partes integrales secundum se, & seclusa quantitate distinctas; & consequenter extensas entitative. Argumentum ergo sic conficio. De facto pars substantiæ, quæ est in manu sinistra Petri, est distincta à substantia partiali, quæ est in manu dextera eiusdem Petri. Sed modò non distinguitur ab illa per quantitatem, sed se ipsa: ergo etiam detrahta quantitate ab utraque parte substantiæ, manerent distinctæ prædictæ partes substantiæ. Maior & admittitur ab adversarij, & constat evidenter ex separatione locali; & ex maiori separatione, quæ interventu scissionis posset contingere. Minorem verò, in qua est tota difficultas, probatur. Primò, quia, si istæ partes substantiæ differret solum per quantitatem, non rectè dicerentur duæ partes substantiæ, sed eadem numero substantia sub diversis quantitatibus; non secus, ac

de corpore, existente per divinam potentiam in duobus locis adæquatis, non est verum dicere, esse diversa corpora, sed esse idem numero corpus sub diversis locis, non alia ratione, nisi quia differentia oritur ex sola diversitate loci.

19 Secundò, (& est ratio à priori, quam promiss) quia per id, per quod aliquid habet esse tale ens, habet esse vnum, & consequenter, quòd sit indivisum in se, & divisum à quocumque alio. Sed pars substantiæ, quæ est in vna manu habet, quòd sit ens substantiale non per quantitatem, (Quis hoc dicat?) sed per suam intrinsecam entitatè: ergo ab intrinseca sua entitate, & nõ à quantitate habebit etiam, esse vna; & consequenter indivisa in se, & divisiva à quocumque alio. Minorem, præterquam, quòd est manifesta, (manifestum est enim, quòd vnum est passio entis ipsum naturaliter consequens) docuit ex presse Aristot. 5. Metaph. cap. 6. & lib. 10. cap. 1. Falsa ergo est sententiã adversariorum, scilicet substantiam materiale[m] non habere partes secundum se distinctas, & consequenter entitative extensas, sed totam distinctionem, seu extensionem entitativam illis advenire ex quantitate.

20 Ad autoritates Aristot. in contrarium adductas respondeatur, in utroque loco locutum fuisse Arist. de divisibilitate, & conse-

quenter de equalitate, & inæqualitate, finitate, & infinitate, non qualicumque, sed quæ propriè, & absolute dicitur talis, qualis est, quæ sequitur ad extensionem quantitativam, non verò de ea, quæ sequitur ad extensionem entitativam; ista enim non dicitur divisibilitas propriè, & absolute, sicuti neque extensio, ad quam sequitur, propriè, & absolute dicitur extensio, sed solum metaphoricè, & cum addito *entitativè*; propriè enim dicitur distinctio.

21. Ad rationem desumptam ex superfluitate respondetur, quòd convinceret, si extensio entitativa, quam nos requirimus in substantia materiali, esset eiusdem rationis cum extensione quantitativa, ad quàm nos illam requirimus; tamen, cum alterius rationis sit, argumentum est futile.

22. Ad confirmationem dicimus, nos non negare sufficere ad extensionem quantitativam recipiendam, quòd substantia sit extensibilis per ipsam. Sed dicimus, nullam substantiam esse extensibilem per extensionem quantitativam, nisi illam, quæ in se est extensa entitativè. Ethoc manifestè convincit instantia substantiæ spiritualis; quæ non alia ratione non est susceptiva extensionis quantitativæ, nisi, quia, cum sit in materialis, caret ista extensione entitativa. Neque ex hoc sequitur, idem esse dicendum de alijs accidentibus, scilicet, quòd ad recipiendum

vbi quantitativum requiratur, quòd præcedat in corpore quanto vbi entitativum: & ad recipiendum intellectum prærequiratur in anima intellectus entitativus; siquidem corpus quantum per ipsam solum quantitatem redditur potens suscipere vbi quantitativum; & anima per suam substantiam redditur immediatè potens suscipere intellectum.

23. Ad primam rationem ex desumptis ex impossibilitate negamus antecedens, & ad probationem negamus compositionem ex partibus integralibus entitativis non fieri ex actu, & potentia; licet enim partes integrales ad invicem comparatæ, non se habeant, ut potentia, & actus, tamen utraque comparata ad indivisibile substantiæ, quo copulatur, se habet, ut potentia, & indivisibile, ut actus; non secus, ac communiter philosophari solet in compositione continui, quod sit ex partibus quantitativis.

24. Ad secundam respondetur in partibus integralibus substantiæ duo nos posse considerare. Primum esse substantiale; secundum esse accidentale, ut habere talem, vel talem figuram: quod esse est, à quo (præsertim si sint eterogeneæ) nomen recipiunt, v.g. manus, pedis, &c. Si in argumento sermo sit de distinctione partium in suo esse substantiali, falsissimum est antecedens. At, si sermo sit de esse accidentali, verum est antecedens: tamen

men ex hoc solum probatur, partes substantiæ non habere extensionem accidentalem seclusa quantitate, & alijs accidentibus, non verò, non habere extensionem entitativam. Quod erat intentum.

25 Ad tertiam dicimus, materiam primam ex se, & remota quantitate, & esse simplicem, & esse compositam simplicem, si loquamur de compositione essentiali, quæ fit ex materia, & forma; vel accidentali, quæ fit ex subiecto, & accidenti. (Et hoc est, quod convincit argumentum.) Compositam, si loquamur de compositione integrali, quæ fit ex partibus integralibus, medijs indivisibilibus. Hoc enim genus compositionis optimè reperitur in entibus alijs simplicibus; ut videri est in quantitate continua secundum se considerata, quæ alijs forma simplex est, cum non sit composita ex materia, & forma, neque ex subiecto, & accidenti; & tamen est composita ex partibus integralibus.

26 Ad quartam distinguendum est antecedens: aut enim sermo est de pura potentia, ut opponitur a Æui physico; aut de pura potentia, prout opponitur a Æui entitativo. Si primo modo sit sermo, verum est antecedens, sed falsum consequens. Neque oppositum probat argumentum; nam, cum pura potentia, ut sic, optimè comparatur, quod sit a Æus entitativus, qui sufficiens est, & ad distinctionem,

& ad suscipiendam extensionem entitativam. At, si sermo sit de secundo modo, falsum est antecedens; ut ex professo probabitur 1. Physicorum.

27 Ad quintam negamus antecedens. Et ad probationem fatemur, ad questionem factam per quid de substantia materiali non responderi per esse extensam entitativam; nam ad hanc questionem solum respondemus per id, quod est de quidditate subiecti, de quo fit interrogatio: & manifestum est, hanc extensionem entitativam non esse de quidditate substantiæ materialis, sed solum esse illius propriam passionem. Sed negamus, hanc extensionem non spectare ad complementum substantiæ materialis: spectat enim, licet non, ut constituens illam in esse suppositi, quia hoc est subsistentia, neque in ultima a Æualitate, quia hoc est existentia, tamen, ut constituens in suo esse essentiali perfecto, ut contingit omnibus passionibus, quæ eo ipso ab Æuro ad speciem illius rei, cuius sunt propriæ passionibus reducuntur. Tantum abest, ut in prædicamento accidentis collocentur, si sunt propriæ passionibus substantiæ.

28 Ad sextam (quidquid sit de antecedenti; posset enim quis illud negare, nam differentie essentielles de prædicamento substantiæ non solum sunt quales entitativæ, sed etiam quidditivæ; prædicatur enim in quale quid, id est,

in quale essentialè, & propriè passiones, vt sunt risibile, hianibile, &c. etsi non sint quales quidditative, quia non spectant ad quidditatem hominis, vel equi, sunt tamen quales entitative, cù ita predicentur in quale de homine, vel equo; vt sint idem realiter cum illis, spectantes non solum ad idem predicamentum, sed etiam redutive ad eandem speciem; negamus consequentiam, nam si ad verbarijs ridiculum videatur distinguere esse quale entitative, & esse quale qualitative: tamen nos contra ipsos ostendimus, non esse ridiculum, sed necessarium, distinguere quoddam esse extensum entitative, & quoddam esse extensum quantitative; & primam concedendum esse substantijs materialibus; secundum verò quantitibus.

Ad septimam fatemur, sequi ex nostra sententia concedendam esse accidentibus materialibus, vt sunt illa, quæ afficiunt substantiam media quantitate, extensionem entitativam. Quod non solum non computamus absurdum (vt adversarij dicunt solum voluntariè, & nulla præmissa probatione) sed necessario fatendum est propter easdem rationes, quibus affirmamus de substantijs materialibus. Neque ex hoc inferas, nullum dari quantum per accidens, vt videntur supponere adversarij; nam hæc extensio entitativa, quæ tam substantijs, quam accidenti-

bus materialibus convenit secundum se, non tollit, quod ab extensione quantitatis quanta per accidens denominentur.

QVÆSTIO III.

Quæ, & quales sint quantitatis proprietates.

NON est dubium, an quantitas habeat proprietates, eum Arist. tres proprietates enumeraverit in littera, & nos in fine huius questionis plures alias ex ipso Arist. adducemus. Sed solum dubitamus, quæ, & quales sint hæc proprietates? Et quidem de tribus traditis in hoc capite ab Arist. diximus in annotationibus; primam, & secundam, quæ sunt non habere contrarium, & nõ suscipere magis, & minus, non competere quantitati in quarto modo, quia etiam conveniunt substantiæ. Tertiam verò, scilicet æqualitatem, vel inæqualitatem competere illi quarto modo; quia quantitati omni, soli, & semper competit.

Nunc verò circa primam ex his annotandum est, intelligendam esse (sicut dictum est in capite de Substantia) de contrarietate perfecta, quæ in hoc consistit, quod sint duæ formæ positivæ ita contrariæ sub unico genere, vt ab eodem subiecto matuo se expellant; non verò de contrarietate sumpta lato modo, scilicet pro quacumque oppositione; nam hoc pacto optime reperitur contra-

ric.

rietas inter quantitates; nam locus sursum contrariatur loco deorsum, cum relativè opponantur; & quantitas discreta contrariatur còtinuæ; nã privativè opponuntur.

3. Circa secundam (quæ est nõ suscipere magis, ac minùs) annotandum est, hanc proprietatè esse intelligendam eodem modo, ac diximus esse intelligendam in capite de Substantia, scilicet de magis, & minùs secundùm intensiõnem; nam secundùm extensionem manifestum est, quantitates suscipere magis, ac minùs; vna enim linea est maior alia, & vna superficies dicitur etiam minor alia.

4. Circa tertiã, quæ est æqualitas, vel inæqualitas, annotandum est, esse intelligendam de æqualitate, vel inæqualitate vera, & propria, qualis est, quæ ex numero partium quantitativarum, vel extensione earum resultat; non verò de æqualitate, vel inæqualitate impropria: & metaphorica, qualis est, quæ resultat ex quantitate virtutis, vel extensione entitativa; nã hæc æqualitas, vel inæqualitas in qualitatibus, & substantijs reperitur.

5. Sed contra hæc proprietatem obijcies. Primò; quia æqualitas, vel inæqualitas sunt relationes: ergo nõ possunt esse proprietates quantitatis, quæ quid absolutum est. Secundo; pondus nõ est quantitas, sed potius qualitas: (est enim idem, quòd gravitas) sed in ponderibus reperitur æqualitas, vel inæqualitas: ergo hæc proprietates nõ cõae-

nit quantitati in quarto modo. Tertio: si in rerum natura esset solum vna quantitas, illa neq; esset æqualis, neque inæqualis: ergo falsum est, hanc proprietatem competere quantitati omni, & semper.

6. Respondetur ad primã objectionè, proprietatè quantitatis nõ esse actualem relationem æqualitatis, vel inæqualitatis, sed æquitudinem naturalem ad fundandum prædictam relationem, quæ quid absolutum est, sicut & ipsa quantitas. Ad secundam, inter pondera (si propriè loquendum sit) non intervenire æqualitatem, vel inæqualitatem, sed similitudinem, aut dissimilitudinem. Quia (vt argumentum obijcit) pondus non est quantitas, sed qualitas, & (vt dicemus cap. de Relatione) vnum in qualitate non facit æquale, sed simile; tamen quia pondus semper reperitur in quantitatibus; & maius, aut minus pondus in rebus eiusdè materiæ, & formæ semper provenit ex maiori, vel minori quantitate, idè cõmuniter similitudo, vel dissimilitudo inter pondera appellatur æqualitas, vel inæqualitas, qui apò dera, nõ rã formaliter, quàm materialiter accipiuntur. Ad tertiã respondetur, quòd ex hypotesi, quòd in rerum natura solum esset vna quantitas non sequitur, æqualitatem, vel inæqualitatem, quæ est proprietas quarto modo quantitatis in communi, illi non competere; nam licet illi non cõpeteret actualis relatio æqualitatis, vel

inequalitatis; tamē naturalis aptitudo ad fundandum æqualitatem, vel inæqualitatem (in qua diximus, consistere hanc proprietatē) illi competeret.

7. Præter has tres proprietates quantitatis hic enumeratas ab Arist. sunt etiam aliæ tres; quas si hic silentio involvit Philolophus, fuit, quia non erat animus in præfenti perfectam notitiam quantitatis tradere. Prima est divisibilitas in partes extensas quantitativè, id est, in partes, quæ natura sua petunt diversum spatium, vel localem, vel durationis, vel discretionis, iuxta exigentiam quantitatis. Et hæc proprietates secundum Scotum 5. Metaph. q. 9. est, quæ immediatius sequitur ad essentiã quantitatis.

8. Est autem annotandum circa hanc proprietatem, non esse sumendam solùm pro divisione Physica, quia hoc pacto non competeret quantitatis discretæ, cum eius partes non sint physicè divisibiles, sed potiùs actu divisa. Sed est sumenda pro divisibilitate, prout abstrahit à physica, & à divisione secundum assignationem, vel enumerationem: hoc enim pacto communis est prædicta proprietates omnibus quantitibus, tam continuis, quam discretis; nam per enumerationem quantitatis discreta, v.g. centenarius, divisibilis in potentia est, & solùm actu dividitur, quando eius unitates actu numerantur. Ex quibus

patet, hanc proprietatem, ut sic, competere quantitatis in communi quarto modo.

9. Quod si aliquis objiciat, quæritas Cæli non est divisibilis; ergo divisibilitas non est passio quantitatis conveniēs ei in quarto modo. Respondetur, quantitatem Cæli esse quidem divisibilem; & hoc ei competere, sicut & alijs quantitibus; tamen per accidens non posse actu dividi, scilicet, quia inhaeret in materia, quæ nequit dividi, eò quod incorruptibilis est.

10. Secunda est, esse finitam, vel infinitam, quæ desumpta est ab Arist. 1. & 3. Phys. Sed est maxima difficultas, quo pacto possit convenire hæc proprietates quantitatis ratione secundi membri, quod potiùs videtur ei repugnare, præcipuè cum Arist. 5. Metaph. c. 3. dicat, de ratione numeri esse, quod sit finita multitudo, ut sic numerati possit; & de ratione magnitudinis esse, quod possit sub mensura cadere, quod est dicere, esse finitam.

11. Propter hæc aliqui recentiores dicunt, infinitatem esse proprietatem quantitatis secundum Arist. ex suppositione, quod daretur quantitas infinita. Sed meliùs respondet Scotus 7. Metaphys. questione 6. scilicet *ly infinitum* esse intelligendum de infinitate in potentia; & *ly finitum* de finitate in actu; & insuper non esse has particulas accipiendas sub distinctione.

junctione, sed sub coniunctione, ita vt sensus sit, proprietatē quantitatis esse, esse finitam, & infinitam, finitam (inquam) a ctu; infinitam verò potentia. Et hoc pacto convenit omni quantitati, tam cōtinuæ, quàm discretæ; nam sicut continua quantitas secundum divisionem a ctu est finita, sed in potentia infinita; ita quantitas discreta secundum enumerationem est finita, sed in potentia infinita; non enim tot vnitates enumerare possumus, quin posimus, & plures alias enumerare, & enumeratis addere.

12. Tertia est, esse mensuram. Pro cuius intelligentia advertendum est, duplicem esse mēsuram; quamdam passivam, & quamdam activam. Mensura activa dicitur illud, per quod certificamur de magnitudine alicuius rei, v. g. vlna dicitur mensura activa, quia per ipsam certificamur de magnitudine panni semel; & iterum super ipsum repetita.

13. Sunt autem aliquæ conditiones ad mensuram activam requisitæ. Prima, quòd sit nota, & certa. Et ratio est, quia per ipsam agnoscimus magnitudinem alicuius rei, & de illa certificamur, & manifestum est, nos non posse per medium ignorum de magnitudine alicuius rei certificari. Secunda conditio est, quòd consistat in indivisibili ex institutione hominum, id est, in tanta quātitate, que ita cōsistēs sit, vt, si ei aliquid adda-

tur, vel minuat, definat esse mēsuram. Et ratio est, quia aliàs non esset certa. Tertia conditio est, quòd sit homogenea mensurato, id est; eiusdem rationis cum illo; ita vt si mensuratum sit longum, ipsa etiam sit longa; & si latum, lata; & si permanens, permanens; & si successive, successive. Et ratio est, quia longitudo debet longitudine mensurari, & latitudo latitudine, &c.

14. Quod si quis obijciat. Vnitas est mensura numeri, quia omnes numeri mensurantur secundum quòd habent plures, vel partiores vnitates. Sed vnitas non est homogenea, neq; eiusdem rationis cum numero; nam vnitas non est numerus: ergo de ratione mēsuræ non est, quòd sit homogenea mensurato. Respondetur, quòd vnitas non est mēsuram numeri, nisi multiplicata: multiplicata enim vnitate bis, metitur binarius, & multiplicata ter, ternarius, &c. constat autem, vnitatem multiplicatam esse numerum; ac per consequens eiusdem rationis mensuram cum mensurato.

15. Quòd si instes: sequitur ex hoc, idem mensurari se ipso, nam vnitas multiplicata est ipse numerus mensuratus. Respondetur negando sequelam; nam, sicut vnum quantum continuum non mensuratur se ipso, licet metiatur per aliud quantum eiusdem rationis, ita numerus non metitur se ipso, etiam si mensuretur per alium numerum

merum eiusdem rationis. Mensura verò passiva dicitur id, quod mensuratur, v. g. extensio panni, vel alterius rei, in quantum subest mensuræ activæ.

16. His suppositis conveniunt omnes, neque mensuram activam, neque passivam esse proprietatem quantitatis, propterea abstrahit, & est quid commune quantitati finitæ, & infinitæ. Et ratio est; quia quantitas infinita non est mensurabilis, neque mensura, cum de ratione mensuræ sit certitudo, & nil magis incertum, & indeterminatem excogitari possit, quam infinitum.

17. Secundò conveniunt omnes, mensuram passivam secundum extensionem quantitativam esse passionem in quarto modo quantitatis finitæ. Et non est sermo de mensura passiva actuali, quia hoc accidit quantitati; sed de aptitudinali, quæ dici potest mensurabilis. Et ratio est, quia mensura, ut sic, convenit quantitati omni, soli, & semper.

18. Maior difficultas est, an mensura activa sit passio quantitatis in quarto modo? Aliqui enim tenent partem negativam. Et probant. Primò, quia, quòd quantitas sit in indivisibili consistens, & determinata (quæ sunt conditiones ad mensuram activam requisitæ) non convenit ei secundum se, sed ex institutione hominum; ergo esse mensuram activam non est proprietas in quarto modo quantita-

tis; quia proprietas, ut sic, non ex institutione hominum, sed ex se convenit quantitati.

19. Secundò, quia proprietas quantitatis univocè debet prædicari de omni quantitate. Sed ratio mensuræ activæ non prædicatur univocè de omni quantitate; ergo non est proprietas illius in quarto modo. Probatur minor ex Arist. qui 10. Metaph. cap. 2. docet, omnia tandem mensurari univocè. In quibus verbis videtur innuere, rationem mensuræ primò, & per se competere quantitati discretæ, scilicet numero, & ratione illius, ac per consequens per accidens, quantitati continuæ.

20. Dicendum nihilominus est, rationem mensuræ activæ esse proprietatem quarto modo quantitatis. Et loquor non de actuali ipsa ratione mensuræ activæ; quia (ut primum argumentum obijciebat) quòd quantitas sit actu mensurata activa, non habet ex se, sed ex institutione hominū, sicut & quòd sit certa, & determinata quantitas, sed loquor de naturali aptitudine ad hoc, ut ab hominibus instituat mensura. Itaque assero, aptitudinem naturalem, quam habet quantitas ad hoc, ut ab omnibus instituat mensura actualis mensura activa rerum habentium extensionem quantitativam, esse proprietatem quantitatis quarto modo. Et ratio est; quia prædicta aptitudo convenit univocè omni quantitati, soli, & semper, ut pate-

bit solvendo rationes in contrarium.

21 Ad primam responderetur, solum probare rationem mensuræ activæ actualem non esse proprietatem quantitatis: quod nos non negamus; sed libenter concedimus. Ad secundam negamus minorem: ad probationem respondetur, prædictis verbis Arist. non insinuasse rationem mensuræ primæ, & per se competere quantitati discretæ, & ratione illius, & per accidens continuæ; (vt ipsi interpretantur) sed solum docuisse id, quod verissimum est, scilicet quantitatem continuam non esse ultimam mensuram, sed hoc competere discretæ, eò quòd vltæ, verbi gratia, quibus mensuratur pannus vnitatibus repetitis vltèrius mensurantur.

QVÆSTIO III.

Vtràm quantitas distinguatur à re quanta?

1 **S**ensus quæstionis est, vtràm quantitas distinguatur à substantia, vel à qualitatibus? nam substantia, & qualitates materiales sunt, quæ denominantur res quantæ, id est, affectæ quantitate.

2 Nominales constanter defendunt, quantitatem non esse distinctam rem à re, quæ denominatur quanta, scilicet, à substantia, vel qualitatibus materialibus. Quorù

fundamentum est, quia existimant, tam substantiam materiale, quam qualitates illius ex se, & secluso quocumque alio extrinseco habere partes extensas, non solum entitativè; (vt nos in q. 2. docuimus) sed quantitativè, id est, ita vt vna petat diversum spatium, ac alia. Vnde consequenter ad hæc affirmant eandem rem esse substantiam, & quantitatem; licet sub diversa ratione: nam substantia dicitur in quantum substat accidentibus, vel habet esse per se; quantitas verò in quantum habet partes extensas quantitativè. Et eodem modo philosophantur de qualitatibus proportionabiliter. Ex quibus inferunt, in vno quoque composito materiali tot esse quantitates, quot sunt entitates materiales realiter distinctæ, quæ ita possunt se penetrare, sicut & ipsæ entitates penetrantur. Ita sentiunt Aureolus apud Capreolum in 2. d. 18. ar. 2. Ochamus in 4. d. 4. & quolib. 4. q. 29. vsque ad 33. & quolib. 7. q. 25. & latissimè in tract. de Corpore Christi c. 17. & sequentibus, Gabriel in 2. d. 10. & plures alij.

3 Probant autem suum fundamentum hi Authores aliquibus rationibus. Prima: Deus per suam potentiam potest separare substantiam materiale ab omni accidenti absoluto ab ea realiter distincto: ergo, si quantitas est accidens absolutum realiter à substantia distinctum, poterit Deus substantiã à quan-

à quantitate separare; & illam sine quantitate conservare. Modò sic; vel ista substantia materialis manens separata ab omni accidenti extrinseco habet partes extensas localiter, sicut antea, vel non? Si habet, habeo intentum, scilicet substantiam materialem secluso quocumque accidenti extrinseco habere partes extensas localiter; ac per consequens substantiam, & quantitatem non esse res distinctas, sed eandem rem. Si dicas, non habere, sequitur, in instanti separationis quantitatis partes substantiæ, quæ antea erant extensæ localiter manere loco coniunctas; quod est impossibile, quia non poterunt coniungi, cum prius essent loco separate, nisi per motum localem, cuius non sunt capaces absq; quantitate.

4 Secunda: si quantitas esset res distincta à substantia, ei inhæreret. Modò sic. Quando quantitas inhæret substantiæ, vel recipitur tota quantitas in tota substantia, & pars in parte; vel tota in tota substantia, & tota in qualibet parte? Non dices hoc ultimum, quia repugnat accidenti corporeo; ergo primum. Si primum, sequitur, substantiã habere ex se partes integrales extensas, & non à quantitate, quæ sit accidens extrinsecum, & quid distinctum realiter ab ipsa; cū partes substantiæ præsupponantur, ut subiectum, partibus prædicti accidentis. Sed nil habet partes

integrantes extensas, nisi quantitas; ergo substantia, illas habet à se, erit ipsamet quantitas, & non quid distinctum realiter ab ea.

5 His non obstantibus dicendum est cū communi sententiã, quantitatem esse accidens distinctum à re quanta, hoc est, à substantia, & à cæteris qualitatibus materialibus. Ita Scot. noster in 4. d. 12. q. 2. & in 2. d. 2. q. 9. Lichetus, & omnes Scotistæ; ibid. Ricard. Durand. & Maior eodem loco; D. Tho. 3. p. q. 77. art. 2. & in 4. d. 12. q. 1. ar. 1. quæstiuncula 3. & 5. Mer. lect. 15. quem omnes eius interpretes sequuntur, tam veteres, quam recentiores.

6 Probatur primò hæc sententia ex Arist. qui 3. Met. tex. 17. & libro 7. tex. 8. ex professo probat, quantitatem non esse substantiã; & lib. 1. Physic. arguit contra Melissum ponentem unum tantum principium rerum naturalium, & illud infinitum, sic: finitum, & infinitum sunt proprietates quantitatis; ergo, si principium rerum naturalium est infinitum, sequitur, quantitatem esse principium rerum naturalium; ac per consequens, præter substantiam, dari aliud, & non tantum esse unum, &c. Quod argumentum patet, nil probare, nisi ex suppositione, quod substantia esset realiter distincta à quantitate. Et 2. lib. de Anima textu. 65. docet, substantiam esse sensibilem per accidens, quantitatem verò per se. Quod nequit esse verum sine

ne distinctione reali.

7 Præterea probari potest hæc sententia ratione ista. Illa, quæ ita se habent, ut unum possit existere sine alio, distinguuntur realiter sine dubio. Sed quantitas, à qua substantia denominatur quanta, potest existere sine substantia: ergo distinguitur realiter ab illa. Minor probatur; nam in Eucharistia experientia visus, & tactus docet, manere ibi quantitatem panis, & vini, & tamen fides astruit, post consecrationem non manere ibi substantiam panis, & vini, sed conversam esse in substantiâ corporis, & sanguinis Christi.

8 Ad hoc argumentum respondent Nominales negando, quantitatem panis, & vini manere in Sacramento Eucharistia post consecrationem, sed destructam esse ad definitionem substantiæ, cum qua identificabatur, sed manet, inquit, quantitas qualitatum ibi manentium, puta albedinis, dulcedinis, &c. & hæc est (aiunt) quam videmus, & palpamus.

9 Sed hæc solutio, & est contra torrentem omnium Scholasticorum, & Patrum, qui unanimiter affirmant, post consecrationem manere in Sacramento Eucharistia quantitatem panis, & vini, & sic temeritatis nota non caret. Et involvit quoddam falsum, scilicet in quocumque composito materiali tot esse quantitates realiter distinctas, quot sunt entitates, scilicet unam substan-

tia, alteram albedinis, alteram caloris, alteram saporis, &c. Et sic una destructa manere in prædicto composito aliam, & aliam. Quod demonstrari potest. Primò, quia naturaliter repugnat plures magnitudines, aut quantitates esse in eodem loco, quia hoc esse non potest absque penetratione earum, quæ naturaliter est impossibilis. Sed si in composito materiali tot essent quantitates, quot sunt entitates, plures magnitudines, & quantitates essent in eodem loco adinvicem penetrata: ergo falsum est, in composito materiali tot esse quantitates, quot sunt entitates.

10 Secundò, quia effectus formales eiusdem rationis provenire debent ab eadè forma. Sed extensio substantiæ, & extensio albedinis, &c. sunt eiusdem rationis, ut ex se patet: ergo ab eadè forma, & non à diversis, ut sunt substantia, albedo, &c. provenire debent.

11 Et deniq; tertio, quia, si accidentia in Eucharistia non unirentur in quantitate panis, tanquam in communi subiecto, nullo modo unirentur, & consequenter nullam haberet colligationem, posssetq; color manere amoto sapore; quod experientia constat esse falsum. Antecedens patet; quia, cum ista accidentia non se habeant, tanquam actus, & potentia, nulla alia excogitari potest inter ipsa unio, quam in quantitate substantiæ, tanquam in communi subiecto.

12 Ad primum argumentum concedimus, Deum posse separare substantiam à quantitate. Et cū inquiris, an prædicta substantia haberet partes extensas localiter, vel non? respondeo, quòd prædicta substantia haberet partes integrantes, non localiter extensas; quia hic est effectus quantitatis continuæ, & permanentis, sed extensas entitativè. Neque ex hoc sequitur debere coniungi ne cessario per motum localem; vt inferrebant adversarij, tanquam maximum inconveniens; quia in prædicta hypotesi partes substantiæ non manerent positivè coniunctæ in loco, ad quod erat necessarius motus localis; sed negativè tantum, ex eo, quòd ablata quantitate nullam haberent extensionem, aut ordinem ad locum.

13 Ad secundum concedimus, quantitatem inherere substantiæ totam in tota, & partem in parte. Ex hoc autem negamus sequi, substantiam ex se habere partes extensas quantitativè, & sic esse idem realiter cum quantitate: quia ad hoc, vt quantitas inhereret tota in tota substantiæ, & pars in parte, sufficit, quòd substantia habeat ex se partes entitativas: quæ per suspensionem partium quantitatis fiât extensæ quantitativè, id est, ita vt natura sua perant occupare distinctum spatium, quod non habebant ante quantitatis suspensionem.

QVÆSTIO V.

Quales sint divisiones quantitatis, quas adducit Arist. in hoc capite?

1 **A** Ristot. (vt vidimus in litera huius capituli) tres tradit divisiones quantitatis, quas in hac quæstione examinabimus Primâ; quantum aliud per se, aliud per accidens. Hanc divisionem faretur omnes esse analogi in analogata. Et ratio est; quia ratio substantiæ significata per hoc nomen quantum, formaliter, & intrinsecè reperitur in quanto per se; in quanto verò per accidens solum extrinsecè, & per habitudinem ad quantum per se.

2 Secunda divisio est, quantum aliud continuum, & aliud discretum. Hanc divisionem faretur Scotus q. 17. prædicamentali, & cum eo omnes, esse generis supremi in species subalternas. Et ratio est; quia illud est genus, quod prædicatur in eo, quod quid, vt pars essentia. Sed quantitas in communi prædicatur de continua, & discreta in eo, quod quid, vt pars essentia illarum: est ergo hæc divisio generis in species. Quòd si his addas, quantitatem, quæ hic dividitur, nil habere supra se, quod habeat rationem generis, & quantum, tam continuum, quam discretum habere sub se plures species, hanc divisionem, reperies, esse generis

in species, non utcumque, sed generis supremi in species subalternas.

3 Sed contra obijciat quis. Primò; quia vna species non fit ex alia. Sed quantitas discreta fit ex continuis: ergo non sunt species quantitas discreta, & continua eiusdem generis. Secundò; vna species non est prior alia. Sed còtinua quantitas est prior discreta, cum hæc fiat ex illa: ergo non sunt species eiusdem generis. Tertiò; vna species non prædicatur de alia. Sed quantitas discreta prædicatur de continua: (hæc enim prædicatio est optima, hæc lineæ sunt tres, &c.) ergo non sunt species eiusdem generis. Quartò; genus non prædicatur in quale, & per modum adiacentis de speciebus; sed in quid, & per modum per se stantis. Sed quantitas prædicatur de continua, & discreta quantitate per modum adiacentis, & in quale, vt videri est in his prædicationibus, *linea est quanta; numerus est quantus*: ergo quantitas non se habet, vt genus respectu còtinuæ, & discretæ quantitatibus.

4 Ad has obiectiones responderetur. Ad primam distinguendo maiorem; vna species non fit ex alia formaliter sumpta, concedo; materialiter, id est, non fit ex materia alterius, nego; nam ignis fit ex materia ligni, & in vniversum vna species fit, & generatur ex materia alterius. Ad secundam responderetur, vnam speciem non

esse priorem alia in participando rationem generis, siue in recipienda prædicatione generis; bene tamen esse priorem alia in essendo, & in existendo. Ex eo autem, quòd quantitas discreta fiat ex continuis, non sequitur esse posteriorem illa in recipiendo prædicationem quantitatis in communi; alias quantitas in communi non prædicaretur de discreta, nisi ratione continuæ; quod non contingit. Sed solum sequitur, quantitatem discretam esse posteriorem continua in essendo, seu existendo.

5 Ad tertiam, maiorem esse veram de prædicatione quidditativa, & essentiali, non verò de denominativa, & accidentalibus; qualis est ista, *ista linea sunt tres*. Ad quartam responderet Scotus loco citato versic. *Aliter dicitur*, hoc esse peculiare in hoc prædicamento, quòd non solum in eo prædicatur genus supremum de suis speciebus in quid, & per modum per se stantis, vt patet in his prædicationibus, *linea est quantitas; numerus est quantitas*; sed etiam prædicatur in quale, & per modum adiacentis, vt patet in his, *linea est quanta; numerus est quantus*.

6 Tertia, & vltima divisio quantitatis in communi ex traditis ab Aristot. est, *quantum* aliud constat partibus habentibus positionem in continuo; aliud verò constat partibus non habentibus talem positionem. De hac divisio-

ne fere communis sententia est, esse divisionem subiecti in accidentia. Quæ sententia vera est, si sumatur membrum dividens formaliter, ut in annotationibus n. 4. dixi; tamen si sumatur materialiter, seu fundamentaliter, scilicet pro illa capacitate, quæ est in linea, superficie, &c. ut partes eius existentes in loco disponantur secundum talem ordinem, dicendum est cum Scoto in fine questionis citata id, quod in prædictis annotationibus insinuavimus, scilicet prædictam divisionem esse quantitatis per differentias intrinsecas materiales; non secus, ac divisio corporis, si divideretur per corruptibile, & incorruptibile.

7 Quod si aliquis obijciat; unius generis tantum est unica divisio per differentias intrinsecas, & específicas. Sed quantitas in communi divisa est per continuum, & discretum, tanquam per differentias intrinsecas específicas: ergo divisio quantitatis in communi per constare partibus habentibus positionem in continuo, & per constare partibus non habentibus talem positionem, non est divisio per differentias intrinsecas. Respondet Scotus, unius generis tantum esse unicam divisionem per differentias intrinsecas formales; tamen præter istam divisionem esse possunt plures alie per differentias intrinsecas materiales; ut videre est in corpore,

quod, postquam divisum est in animatum, & inanimatum, tanquam per differentias intrinsecas formales, dividi etiam potest per corruptibile, & incorruptibile, tanquam per differentias intrinsecas materiales. Et hoc contingit in quantitate in communi; nam, postquam divisa est per continuum, & discretum, tanquam per differentias intrinsecas, & formales, postea divisa est eadem quantitas in communi per constare partibus habentibus positionem in continuo, & per constare partibus non habentibus talem positionem, tanquam per differentias intrinsecas materiales.

8 Præter has etiam est alia divisio quantitatis in communi tradita ab Aristoteli, scilicet *quantitas* alia permanens, alia successiva. Quæ divisio, sicut, & præcedens, est divisio generis per differentias intrinsecas materiales. Ita Scotus in 2. distinct. 2. quest. 4. §. *Contra conclusionem circa finem*. Quantum permanens dicitur illud, cuius partes sunt simul in aliquo tempore, ut linea, superficies, corpus, locus, & numerus. Quantum verò successive est illud, cuius partes non sunt simul in aliqua duratione, sed successive fluunt, ut tempus, & oratio.

9 Alias duas subdivisiones adducit Aristoteli in litera; nam quantum continuum subdivisit in lineam, superficiem, corpus, tem-
pus,

pus, & locum; & quantum discretum in numerum, & orationem. Quæ subdivisiones, etsi ab omnibus reputentur, vt generis inter-

medij in species, plures tamen patiuntur difficultates, quæ in sequentibus disputationibus examinabuntur.

DISPUTATIO II.

De speciebus quantitatis continuæ.

DE speciebus quantitatis continuæ prius hanc disputationem instituimus, quàm de speciebus quantitatis discretæ, eò quòd quantitas discreta ex quantitativis continuis, tanquam ex partibus materialibus, componitur; & ordo naturæ postulat, vt à partibus ad totum procedamus. Tria autem sunt, quæ in hac disputatione examinanda veniunt. Primum, *Vtrum linea, & superficies sint species quantitatis continuæ à corpore & inter se distinctæ?* Secundum, *Vtrum locus sit species quantitatis diversa à superficie?* Tertium, *Vtrum tempus, & motus sint species quantitatis?*

QVAESTIO PRIMA.

Vtrum linea, & superficies sint species quantitatis continuæ à corpore, & inter se distinctæ?

VT intelligatis, quid lineam, superficiem, & corpus appellemus, norandum est primò, Mathematicos (quorum proprium est agere de quantitativis) sic lineam, superficiem, & corpus declarasse. Supponunt enim, esse quã-

dam entitatem minimam, & omnino indivisibilem, quam appellant punctum. Quo supposito dicunt, lineam esse illud vestigium, quod relinquit punctum, si separatim fingamus fluere à loco in locum: superficiem verò esse vestigium illud, quod relinquit linea, si etiam

figamus fluere à loco in locum; & demum corpus vestigium, quod relinqueret superficies, si fingere mus fluere.

2 Hæc declaratio congrua est; nam, cum linea sit longitudo sine latitudine, & superficies sit latitudo sine profunditate, & corpus sit profunditas, exactissimè per talem fictionem nobis declarant, quid sit linea; quid superficies; & quid corpus. Nam, si fingamus, punctum separatum moveri à loco in locum, vestigium, quod relinqueret, esset longitudo sine latitudine; & si fingamus moveri lineam, vestigium, quod relinqueret, esset latitudo sine profunditate; & demum, si fingamus, moveri superficiem, vestigium; quod relinqueret, esset profunditas.

3 Cum ergo superficies cause tur ex fluxu lineæ, & corpus ex fluxu superficiæ, hinc provenit, (& sit secundùm notabile) superficiem necessariò supponere longitudinem; & corpus longitudinem, & latitudinem. Et ob hoc communiter dici solet, lineam includere vnam dimensionem; superficiem duas; & corpus tres. Non quia omnes has de formali significant superficies, & corpus: nam vnaquæq; ex his speciebus de formali solum significat vnicam dimensionem; videlicet linea longitudinem, superficies latitudinem, & corpus profunditatem; (vt notavit D. Th. opusc. 48. tract. 3. c. 5.) sed quia superficies importans

vnam de formali, & supponens aliam dicitur duas includere; & corpus importans vnam de formali, & supponens duas, dicitur, tres includere. Et in hoc sensu intelligendus est Arist. dum 5. Met. cap. 13. ait: *Magnitudo, quæ quidem ad unum continua est longitudo, quæ verò ad duo latitudo, quæ autem ad tria profunditas.* Vnde rectè definiiri solent hæc species quantitatis sic. *Linea est quantitas continua ad unum. Superficies est quantitas continua ad duo. Corpus est quantitas continua ad tria.* Et clariùs his verbis: *Linea est quantitas continuata punctis. Superficies est quantitas continuata lineis. Corpus est quantitas continuata superficiebus.*

4 Ex dictis infero, (& sit tertium notabile) lineam, & superficiem duobus modis considerari posse. Primò, vt sunt divisibiles, & inextensæ; linea quidem secundùm latitudinem, superficies verò secundùm profunditatem. Et hoc modo manifestum est, nõ esse species quantitatis continuæ, sed terminos cõmunes, quibus partes specierum quantitatis cõtinnæ copulantur; nã, sicut partes lineæ copulantur punctis, ita superficiæ partes copulantur lineis, & corporis partes superficiebus. Secundo modo considerari possunt, vt divisibiles, & extensæ sunt secundùm proprias dimensiones, linea secundùm longitudinem, & superficies secundùm latitudinem. Quia ratione habent

sua

sua indivisibilia, quibus partes earum copulantur. Nam partes lineæ copulantur punctis, & partes superficiei lineis, quæ sunt indivisibiles secundum latitudinē. Et de lineæ, & superficiei, ut sic, est sermo, cum in præsentī inquirimus, utrum sint species quantitatē?

5 Notandum est quartò, corpus tripliciter sumi posse. Primò, prout est genus quoddam ex intermedijs in recta lineæ prædicamenti substantiæ constitutis. Secundò prout est altera pars compositi physici substantialis, & viventis. Quæ ratione dicere solemus; homo cõstat corpore, & anima. Tertio pro extensione continuata superficiebus. Cum ergo in præsentī inquirimus, utrum corpus sit species quantitatē? Solùm est sermo de corpore in tertia acceptione sumpro.

6 Et conveniunt omnes, corpus in ista tertia acceptione sumptum esse speciē quantitatē continuæ. Nam præterquàm, quòd hoc docuit Aristot. in hoc capite, non apparet ratio, cur à ratione quantitatē continuæ debeat excludi; siquidem non solùm habet partes extensas natura sua exigentes diversam sparium, (in quo supra rationem essentialē quantitatē constituiamus) copulatas termino communi, scilicet superficiebus, (in quo secundum Aristot. ratio continui consistit) sed etiam est quid completum, cum natura sua non ordinetur ad aliam vltē-

riorem quantitatē constituentam, sicut videntur ordinari lineæ, & superficies.

7 De lineæ vetò, & superficiei, an sint species quantitatē continuæ distinctæ à corpore? est difficultas. Nam Nominales, Ochamus in sua Dialectica, & Gregorius in 2. d. 2. quæst. 2. Item Durand. ibidem quæst. 1. tenent, lineam, & superficiem non esse species quantitatē continuæ distinctas, neque à corpore, neque inter se, sed solùm esse vnicam speciē quantitatē continuæ, scilicet corpus. Quæ, ut consideratur habens longitudinem, dicitur lineæ; & ut consideratur habens latitudinem, dicitur superficies; & ut consideratur habens profunditatem, dicitur corpus. Quam sententiā ex Neoterics sequitur Hurtado disp. 13. Met. sect. 6. Caber. super hoc caput disp. 2. dub. 5. & ut probabilem defendit Didacus à Iesu disp. 13. q. 1. in fine.

8 Fundamentum Nominalium est; quia differentię constituentes, & distinguentes species quantitatē continuæ debent esse positivæ. Sed differentię constituentes, & distinguentes lineam, & superficiem non sunt positivæ; ergo lineæ, & superficies non sunt species quantitatē continuæ. Probat minor; quia solùm distinguitur lineæ à superficiei, quia caret latitudine, & superficies à corpore, quia caret profunditate.

9. Fundamentum verò aliorum authorum est, quia, ut aliquid sit species quãtitaris, debet esse quid completum in genere quãtitaris; nam entia incompleta non per se (ut ponuntur species) sed reduci- vè in serie prædicamentali collo- cantur. Sed linea, & superficies non sunt quid completum in ge- nere quantitatis: ergo neq; erunt illius species. Probant minorem, quia, sicut motus ordinatur essen- tialiter ad terminum, & punctum ad a lineam, ita linea ordinatur es- sentialiter ad superficiem, & su- perficies ad corpus: ergo sicut motus, & punctum sunt quid in- completum, & propterea nõ sunt propriæ species quantitatis, sic etiam linea, & superficies erunt quid incompletum, & non veræ species quantitatis.

10. Et confirmatur. Primò, quia vna species non potest inclu- di in alia. Sed linea includitur in superficie, & tam linea, quàm su- perficies in corpore: ergo linea, & superficies non sunt species quantitatis distinctæ, tam à corpo- re, quàm inter se. Secundò; quia quantitas continua, & permanens hoc ipso, quòd talis est, habet par- tes impenetrabiles loco: sed hæc impenetrabilitas non competit partibus istarum dimisionũ, quas pro formali dicunt superficies, & linea: ergo superficies, & linea for- maliter consideratæ non sunt spe- cies quantitatis. Probat minor; quia, si super vnum corpus perfe-

ctè planum ponatur aliud æquale, superficies vltima vnus tanget omnes partes superficiem vltimæ alterius: ergo penetrantur, quia penetrari quid aliud est, quàm, quòd vna quantitas tangat omnes partes alterius?

11. Dicèdum nihilominus est, lineam, & superficiem esse species quantitatis continuæ, tam inter se, quàm à corpore distinctas. Hæc est sententia Aristot. in hoc cap. & 5. Metaph. c. 13. quam, ut certissimam supponit Scot. q. 20. prædicamentali, & expressè docet in 2. d. 2. q. 9. lit. L. Et idè præ- stat D. Tho. opusc. 48. tra. 3. c. 5: & alibi sæpè, estque communis, & recepta apud omnes.

12. Et in primis esse species quantitatis continuæ manifestum est, nam, cum essentia quantitatis continuæ sit, habere partes exten- sas ita, ut natura sua postulent di- versum spatium, quæ partes sint aliquo termino cõmuni copula- tæ, non est ratio, cur denegari pos- sit, lineam, & superficiem esse spe- cies quantitatis continuæ: siquidè linea habet partes secundum lon- gitudinem extensas modo prædi- cto, quæ copulantur punctis; & su- perficies partes extensas secundum latitudinem, modo etiam prædi- cto, quæ copulantur lineis.

13. Quòd verò sint, tam inter se, quàm à corpore distinctæ proba- ri potest. Primò ex Geometria, vbi diversæ passiones demonstrã- tur de linea, ac de superficie, & cor-

corpore. Quod fieri nō posset, nisi linea, superficies, & corpus essent distinctæ species quantitatis.

14 Secundò; diversæ extensiones partium quantitativarum distinguunt, & constituunt diversas species quantitatis, sed extensio partium quantitativarum secundum longitudinem, quam dicit pro formali linea, est diversa, & distincta ab extensione partiū quantitativarum secundum latitudinē, quā dicit pro formali superficies; & utraque ab extensione partium quantitativarum secundum profunditatem, quam dicit pro formali corpore: ergo linea, & superficies sunt species quantitatis cōtinuæ, tam inter se, quam à corpore distinctæ.

15 Tertiò; quantitates, quarū partes continuantur indivisibilibus, siue terminis communibus diversæ speciei, sunt diversæ speciei. Sed linea, superficies, & corpus sunt quantitates, quarum partes continuantur diversis indivisibilibus, siue terminis communibus in specie; ergo sunt diversæ quantitatis species. Probo minorem; nā partes lineæ continuantur punctis; & partes superficiē lineis; & partes corporis superficiebus. Quæ diversa indivisibilia, siue termini communes sunt.

16 Ad fundamentum Nominalium concessa maiori negamus minorem. Et ad probationem dicimus, falsum esse lineā præcisè distingui à superficie per negationē,

seu carentiā latitudinis, & superficiē à corpore per carentiam profunditatis: quia linea distinguitur à superficie, eò quòd pro formali dicit extensionem secundum longitudinem; at verò superficies pro formali dicit extensionem secundum latitudinē; corpus verò pro formali dicit extensionem secundum profunditatem. Quæ extensiones, (vt manifestum est) quid positivum sunt; carentiæ verò, seu negationes latitudinis, & profunditatis, quas dicunt linea, & superficies non sunt constitutum formale illarum, sed quid consequēs ad formale constitutum.

17 Ad fundamentum aliorum Authorum concessa maiori negamus minorem, scilicet lineam, & superficiem non esse quid completum in genere quantitatis. Ad probationem dicimus, duobus modis nos posse, tam lineā, quam superficiem considerare. (vt num. 4. dicebamus) Primò, vt indivisibilia sunt; v. g. lineam secundum latitudinem, & superficiem secundum profunditatem. Secundò, vt extensionem partium quantitativarum copulatam terminis communibus habent; v. g. linea secundum longitudinem, & superficies secundum latitudinem. Si primo modo considerantur, fatemur, quòd, sicut motus essentialiter ordinatur ad terminum, & punctum ad lineam, ita linea ordinatur essentialiter ad superficiem, & superficies ad corpus; & consequēter, vt sic, sunt

quid incompletum, non secùs, ac sunt motus, & punctum; nec poterunt esse species quantitatis. (vt in prædicto notabili dixi) At si cõsiderentur secundo modo, falsum est, lineam ordinari essentialiter ad superficiem, & superficiem ad corpus, sicut motus ad terminum, & punctum ad lineam: cum potius sint quædam species quantitatis completæ, & perfectæ vnaqueq; in sua sphaera. Et licet extensio, quæ dicitur linea, ordinetur ad superficiem; & quam dicitur superficies, ordinetur ad corpus; sed non formaliter, & quatenus extensiones sunt, sed materialiter, & inquantum indivisibilia sunt.

18 Ad primam confirmationem respondetur distinguendo maiorem. Vna species non potest includi in alia; formaliter sumpta, concedo maiorem; materialiter sumpta, nego. Nam quaternarius includit materialiter ternarium, & binarium, quæ sunt species diversæ eiusdem generis. Constat autem ex dictis, lineam non includi in superficie, vt est extensio secundum longitudinem, quæ est ratio, quam dicitur linea pro formali; sed vt est indivisibile quoddam secundum latitudinem; ac per consequens terminus communis partium superficiem. Et idem est iudicium de superficie respectu corporis. Et similiter constat e contrario superficiem non includere lineam pro formali, sed pro materiali; nam pro formali dicitur

extensionem secundum latitudinem; & similiter corpus non includere lineam, & superficiem pro formali, sed pro materiali; nam pro formali dicitur extensionem secundum profunditatem, quæ non est linea, neque superficies.

19 Ad secundam confirmationem negamus minorem. Ad probationem negamus consequentiam. Nam ad penetrationem nõ sufficit, quod omnes partes vnius quantitatis tangant omnes partes alterius: hoc enim contingere potest per contiguitatem, sicut in exemplo posito duarum superficialium contingit. Sed etiam est necessarium, quod sint simul in eodem loco. Quod in præsentibus non contingit, cum vna ex his superficialibus, scilicet, illa, quæ est in corpore continenti, sit locus alterius, illius scilicet, quæ est in corpore contento.

20 Solet etiam in hac questione inquiri, an, supposito, quod linea, superficies, & corpus sint diversæ species quantitatis, sint species infimæ, an subalternæ? Respondetur absque dubio esse infimæ; nam quod corpus sit rotundum, vel planum; & similiter, quod superficies sit concava, vel convexa, & quod linea sit recta, vel obliqua, solum sunt differentie accidentales, sicut quod homo sit albus, vel niger, & sic non variantur essentialiter huius, vel illius quantitatis.

QVÆSTIO II.

*Verum locus sit species quantitatis
à superficie distincta?*

PER locum intelligimus ultimam superficiem corporis continentis; de quo latè disputat Aristot. 4. Phys. & his verbis illum definit. *Locus est ultima superficies corporis continentis immobilis primò.* Quod ut clariùs intelligatis advertendum est, in corpore ambiente duas esse superficies ultimas. Alia est, secundùm quam continet locatum, quæ appellatur superficies concava. Et alia est secundùm quam continetur ab alio corpore, & appellatur superficies convexa. Illam ergo superficiem concavam, quæ ambit locatum, & inhaeret in corpore locante, appellat locum Aristot. & de ea nunc inquirimus, an sit species quantitatis distincta à superficie?

2. Secundò advertendum est cù Scotus quolibet. lit. G. & in 2. d. 2. q. 6. lit. D. locum duo dicere; unum pro materiali, & aliud pro formali. Pro materiali dicit superficiem ultimam corporis continentis. Pro formali verò dicit habitudinè continentis, vel actualè, ut quãdo actu continet, vel aptitudinalè, ut quãdo actu non continet, sed est vacuus.

3. Sunt, qui dicant, locum esse speciem quantitatis distinctam essentialiter à superficie. Ita Alb. Mag. tractatu Prædicabilium c. 5. Canterus in expositione textus, Toletus q. 2. Et probant. Primò autho-

ritate Aristot. qui in hoc capite enumerat locum, ut speciem quantitatis continuè distinctam à superficie, & omnibus alijs.

4. Secundò probant hac ratione. Locus habet extensionem partium, saltem formaliter distinctam ab extensione partium superficiei: ergo locus, & superficies sunt species distinctæ quãtitatis. Antecedens probant, quia superficies, ut talis est, habet extensionem partium in ordine ad corpus, cui inhaeret; quæ propterea dici solet mensura intrinseca; locus verò habet extensionem partium in ordine ad corpus extrinsecum, & cui non inhaeret, sed circum ambit, cù illi ita commensuretur, ut partes eius partibus locati respondeant, & indivisibilia indivisibilibus. Qui propterea dici solet mensura extrinseca.

5. Communis tamen, & vera sententia tenet oppositum, scilicet locum non esse speciem quantitatis distinctam à superficie essentialiter, & in ratione quantitatis, sed solum accidentaliter, non secùs, ac homo albus distinguitur ab homine nigro. Ita Commentator Averroes super 1. lib. Metaph. Aristot. Scotus noster quæst. 20. & 23. prædicam. & omnes illius discipuli; D. Tho. 5. Met. lect. 15. Soncinas 5. Metaphys. quæst. 40. Fonseca ibidem c. 13. q. 3. Suar. in Met. disp. 51. sect. 2. num. 9. & communiter recentiores.

6 Probari potest. Primò auctoritate Aristot. qui, postquam 4. *Physic.* determinavit de loco esse ultimam superficiem corporis continentis, &c. postea 5. *Met. c. 13.* enumerâ ex professo species quantitatis continuæ, locum inter eas non enumeravit, non alia ratione, nisi quia (vt dixit Commentator Auerroes loco citato) in ratione quantitatis Arist. locum à superficie non distinguit.

7 Secundò probatur hac efficaci ratione, locus solùm differt à superficie ratione continentis, quam pro formali dicit. Sed ratio continentis nō est specialis ratio quantitatis; imò neque pertinet ad hoc prædicamentum, cum sit relatio extrinsecus adveniens spectans ad prædicamentum *ubi*, vt suo loco dicemus; ergo implicat, quòd per ipsam locus sit quantitas essentialiter à superficie distincta, sed solùm different accidentaliter.

8 Ad auctoritatē Arist. in cōtrarium adductam respondetur cum Auerro, & Scoto loc. cit. Arist. in hoc capite nō examinasse exactè naturam quantitatis, sed hoc distulisse vsque ad 4. *Physicorum*, neque ex propria sententia species quantitatis enumerasse; sed ex sententia magis vulgari, quæ tunc circunferabatur. Vel secundò respondetur cum D. Tho. 5. *Met. lect. 15.* & Caiet. in hoc cap. Arist. in prædicamentis egisse de quantitate secundùm rationem mensuræ; &

ideò ibi enumerasse locum inter species quantitatis; quia etiam si non habeat diversam extensionem à superficie, est tamen diverso modo mensura.

9 Ad rationem verò dicimus, locum habere extensionem partium distinctam à superficie, non essentialiter, & in ratione extensionis, vel quantitatis, sed accidentaliter, vt demonstratum est. Vnde solùm potest ex hoc colligi, locum, & superficiem esse species quantitatis accidentaliter distinctas, sicut sunt species animalis homo albus, & homo niger. Quòd nos concedimus.

QVÆSTIO III.

Vtrum tempus, & motus sint species quantitatis continuæ?

1 **Q**Uamvis de motu, & tempore ex professo agendum sit in 3. & 4. *Physic.* tamen ad resolutionem huius quæstionis necessarium est, vt hic rudi Minerva prælibemus quid sit tempus? quidque motus? Tempus ergo sic ab Arist. 4. *Physic. c. 11.* definitur. *Tempus est numerus motus secundùm prius, & posterius.* Circa quam definitionem pulchrè annotavit Scotus q. 23. prædicamentali, versic. *Ad tertium dico, ly numerus, non significare numerum, qui est species quantitatis discrete; sed significare*

re

ne idem, quòd mensura, quæ numerus appellari solet, eò quòd ratio mensuræ primariò numero cõpetit. Vnde sensus definitionis est, *Tempus est mensura motus secundùm prius, & posterius*; id est, cum ordine, & successione prioris, & posterioris.

2. Ex qua definitione colligo, tempus propriè dici illam durationem, quæ consumitur in quocumque motu successivo: siquidè hæc duratio est, qua mensuramus partes motus cum ordine, & successione prioris, & posterioris; & consequenter de qua definitio temporis verificatur.

3. Solùm est advertendum, quòd, sicut respectu cuiuscumque motus habentis partes cum successione prioris, & posterioris, possumus assignare duplicem durationem; vnam intrinsecam, & propriam; illam scilicet, quæ consumitur in existentia ipsius; & aliã extrinsecam, & communem; illam scilicet, quæ consumitur in existentia alterius motus communis, & universalis, cui omnes alij motus particulares coexistunt; vt est motus primi mobilis; ita etiam possunt distingui duo tempora: vnum intrinsecum, & proprium: quod nil aliud est, quàm duratio intrinseca, & propria cuiuscumque motus partes eius intrinsecè mensuràs secundùm prius, & posterius. Et aliud extrinsecum, & commune; quod nil aliud erit, quàm duratio motus primi mobilis; quæ

est motui primi mobilis intrinseca, & propria sit, tamen omnibus alijs motibus particularibus extrinseca est, & communis.

4. Verum est, communiter solùm appellari tempus duratione motus primi mobilis. Sed hoc est, quia, cum tempus sit duratio motus, non vt cumque, sed in quantum mensura illius, (vt colligitur ex definitione tradita, & docet Scotus in 4. d. 48. q. 2. lit. G. vers. *Ad primum*) & ad mensuram requiratur vniformitas, & regularitas; & hæc reperiatur in duratione primi mobilis, quæ vniformis, & regularis est; ideo communiter duratio primi mobilis assumitur ab hominibus, vt mensura omnium aliorum motuum, & consequenter appellatur tempus; hoc autem non impedit, quòd etiam durationes aliorum motuum, quoties vniformes, & regulares sunt, possint etiam ab hominibus desumi ad motus mensurandos; & consequenter debeant tempora appellari; vt patet in moribus horologii, quorum durationes horæ appellantur.

5. Motus verò sic definitur ab eodem Arist. 3. Physic. cap. 2. *Est actus entis in potentia secundùm quod in potentia*. Ad cuius definitionis intelligentiam adverte, motum strictè dictum, id est, prout distinguitur à mutatione instantanea, dupliciter sumi posse; materialiter scilicet, & formaliter. Materialiter nihil aliud est, quàm for-

ma.

ma fluens, id est, forma, quæ acquiritur per motum, vt inferi, & in esse imperfecto, tendentique in sui perfectionem consideratur. In quo sensu (teste Scoto in 4. d. 13. q. 1. lit. I.) sumpsit motum Aristot. cum 3. Physic. dixit, actionem, & passionem esse idem realiter in motu. Sumptis actione, & passione, non pro respectibus transmutantis ad transmutatum, & transmutati ad transmutans; quæ ratione sumptæ, actio constituit quintum prædicamentum, & passio sextum. Neque pro respectibus producentis ad productum, vel inducentis ad inducendum, & è contra: quæ ratione actio, & passio sunt relationes intrinsecus advenientes spectantes ad tertium prædicamentum. Sed sumptis actione, & passione pro re acta, vt inferi, & in esse imperfecto consideratur; inquitur aut actus activi, & passivi; vt ibi loquitur Philosophus.

6 Formaliter verò sumptus motus nil aliud est, quam ipse fluxus, à quo forma, quæ fluit, quando est in fieri, fluens denominatur. Qui fluxus nil aliud est, quam illa mora, seu duratio successiva, quæ in fieri illius formæ consumitur; & (vt docet Scotus in 4. d. 48. q. 2. lit. G.) non distinguitur realiter à tempore intrinseco, sed solum formaliter, eò quod tempus supra istam durationem successivam, in qua consistit hæc fluxus, addit rationem mensuræ formaliter:

& fundamentaliter rationes illas, quæ requiruntur ad mensurandum; quæ sunt vniformitas, seu regularitas.

7 Definitio ergo motus supra adducta ex Aristot. videlicet *Est actus entis in potentia, secundum quod in potentia*, nõ convenit motui sumpto formaliter, & pro ipso fluxu, seu duratione successiva, quæ consumitur in fieri alicuius formæ, & est idem realiter cum tempore; sed competit motui sumpto materialiter, & pro forma fluente, dum est in fieri, & esse imperfecto tendenti ad ulteriorem illam perfectionem, quam habet, dum est in facto esse. Vnde per illas particulas, *actus entis in potentia* convenit motus iste cum omnibus formis, tam substantialibus, quam accidentalibus; quæ etiam habent esse actus entis existentis in potentia ad ipsas recipiendas. Et per particulas *secundum quod in potentia* (quibus denotatur, esse illud in fieri, & imperfectum tendens ad ulteriorem perfectionem, quod habet motus materialiter sumptus) distinguitur ab omnibus alijs formis, quæ habent esse in facto esse. Vnde 3. Physic. probabimus, (Deo dante) hanc definitionem motus traditam ab Aristot. competere omni motui materialiter sumpto, tam successivo, quam instantaneo.

8 His ergo suppositis pro aliqui intelligentia temporis, & motus, duo sunt in hac quæstione

exami-

examinanda, vt in eius titulo perspicuum est. Primum, *An motus sit species quantitatis continua?* Secundum, *Vtrum hoc etiam verificetur de tempore?*

SECTIO PRIMA.

Explicatur, An motus sit species quantitatis continua?

DE hac re duæ sunt oppositæ sententiæ. Prima sustinet, motum non esse speciem quantitatis continuæ. Ita Suarez in Metaphysica disp. 40. sect. 8. Malsius hic sect. 3. q. 6. Rubius q. 5. Sanch. lib. 5. q. 17. Arauxo 5. Met. qu. 3. art. 5. Cursus Carmelit. disput. 13. q. 5. Martinus quest. 3. Torrejon disp. 3. q. 4. Caberus disp. 2. q. 7. & videtur expressa Scoti q. 2. 3. prædicam. versic. *Ad secundum*, vbi expressè sic ait; *motus non est quantitas; & reddit pro ratione, quia ratio eius tota potest intelligi conuenire indivisibili.* Imò videtur Arist. qui non solum non numeravit motum inter species quantitatis, neque hic, neq; 5. Metaph. sed etiam illum excludit hoc ultimo loco cap. 13. dicens, motum esse quantum per accidens.

10 Fundamenta istius sententiæ sunt; quia motus (vt 5. Physic. dicemus) distinguntur essentialiter per habitudines ad diversos terminos, & non per diversum

modum extensionis. Secundò; quia motus (vt ex dictis circa expositionem definitionis eius constat) est ens incompletum, & imperfectum; ergo non potest directè, & per se ad aliquod prædicamentum pertinere. Vnde Arist. (vt infra videbimus) motum nõ in prædicamentis, sed in postprædicamentis collocavit.

11 Secunda sententia per oppositum defendit, motum esse speciem quantitatis continuæ. Ita Fonseca 5. Met. c. 13. q. 8. sect. 1. & 2. Conimbricenses 3. Phys. c. 2. q. 2. art. 3. & est recepta apud aliquos Scotistas: nã eam defendunt Antonius Andr. 7. Metaph. q. 10. Ioannes de Colonia verbo *motus*, Tartaretus in hoc cap. 5. *Quartò sciendum*, Maironius hoc cap. p. 1. s. 24. & videtur expressa Scoti in 4. d. 48. q. 2. lit. G. vbi ait: *Quod tempus non est quantitas, quia una quantitas non est in alia, & tempus est in motu: infero: ergo motus quantitas est ex mente Scoti.* Imò videtur esse Arist. qui 3. Physic. ait: *Motum esse de genere continuorum.*

12 Fundamentum istius sententiæ est; quia illud est species quantitatis continuæ, quod per se habet partes extensas; natura sua exposcetes diversum spatium, copulatas aliquo termino communi. Sed motus per se habet partes extensas, natura sua exposcentes diversum spatium durationis, videlicet partiales fluxus, seu moras

ras successivas, ex quibus totalis ille fluxus, seu mora successiva coalescit, copulatas terminis communibus; quales sunt indivisibilia, quæ dicuntur mutata esse: ergo nil deficit ei ad rationem quantitatis continuæ.

13 Nec valet, quod respondēt Authores oppositæ sententiæ, scilicet motum habere istas partes per accidens, (vt dixit Aristot.) à magnitudine scilicet termini mobilis, seu spatij; nam (vt benè explicant D. Tho. 5. Metaph. lect. 15. & nos. Scotus qu. 23. prædicamentali vers. *Ad argumentum* loquendo de tempore; & idem potest applicari ad motum) duobus modis potest dici aliquid habere partes extensas quantitativè per aliud, & consequenter per accidens. Primo in genere causæ formalis. Secundo in genere causæ efficientis, seu quasi efficientis. Si primo modo aliquid sit quantum, seu habeat partes extensas per aliud, seu per accidens, verum est, non posse esse speciem quantitatis: vt videri est in substantia, & qualitatibus materialibus. Sed falsum est, hoc pacto motum habere partes extensas per aliud, seu per accidens; ex magnitudine scilicet termini mobilis, seu spatij; cum horum extensio sit permanens; extensio verò motus successiva.

14 Secundo modo verū est, motum esse extensum, seu quantum (vt dixit Aristot.) per accidens, seu per aliud, scilicet ex magnitudine ter-

mini mobilis, vel spatij; tamē hoc nõ tollit, quòd sit, ratione istius extensionis, per se formaliter extensum, & consequenter species quantitatis: sicuti quòd similitudo, quæ est inter duos parietes albos, resuletur quasi in genere causæ efficientis ex fundamento, & termino, non tollit, quòd prædicta similitudo sit per se formaliter relatio spectans ad tertium prædicamentum.

15 Minus valet, quod respondet Caber. videlicet motum (& idē dicit de tempore) habere quidem partes extensas, & cōtinuas, nihilominus non esse quantitativè verè, & propriè, sed solum metaphoricè, & similitudinariè; quia quantitas verè, & propriè spectans ad hoc prædicamentum solum est illa, quæ habet partes extensas occupativas loci, quales non sunt partes motus, vel temporis. Nam hæc restrictio voluntaria est, & solum potuit excogitari, vt quantitates successivæ, & discretæ, quas Arist. collocat per se in isto prædicamento, contra ipsum Philosophum à prædicto prædicamento (vt Author ille reijcit) excludatur. Licet enim ad rationem quantitatis, quæ per se in isto prædicamento collocatur, requiratur extensio partium, quæ ex natura sua exposculent, non penetrari in eodem spatio, (vt disp. 1. q. 1. n. 22. diximus) hoc tamen nõ est restringendū ad spatium locale, cum id solum competat cuidam generi subalterno huius prædicamenti, scilicet quantitati cōtinuæ per-

permanēti: sed est intelligendum de spatio in communi, & prout abstrahit à locali, durationis, & discretionis.

16 Sed in hac re distinctione opus est, qua adhibita, non solum loca Arist. & Scoti, quæ pro utraq; sententia sunt adducta, & primo aspectui opposita apparent, in cōcordiam venient, sed etiam quid in hac re tenendum sit, erit perspicuum. Ut enim in principio huius quæstionis n. 5. dicebamus, motus dupliciter sumi potest. Primò materialiter, scilicet pro forma fluēte: secundò formaliter, scilicet pro ipso fluxu, à quo forma denominatur fluens, id est, successivè durans. Si primò modo sumatur motus, vera est prima sententia; & de motu, ut sic, loquitur Scotus loco pro ipsa citato, ut ratio, quam ibi adducit ad probandū, motum nō esse speciem quantitatis, manifestè convincit: atq; hoc evidenter probant rationes, quæ pro prædicta sententia adductæ sunt.

17 Nec ratio pro secunda sententia facta contra ipsam militat; nam, etiam si forma, quæ fit, habeat partes, tamen istæ partes solum sunt entitativæ: quòd enim sint durantes successivè, non habent ex se, sed ex fluxu, seu duratione, quam motus dicit pro formali. Quod ex eo convinci potest; quia possunt istæ partes poni in maiori, vel minori duratione; imò (ut dixit Scotus) per potentiam Dei poni possunt in instanti; quòd

repugnaret, si ex se haberent quòd essent durantes successivè.

18 Si verò motus sumatur secundo modo, vera est secunda sententia; idque probat manifestè ratio pro ipsa adducta; & id est, quod contendunt Arist. & Scotus pro ipsa citari. Et quòd Scotus loquatur ibi de motu formaliter sumpto, patet; nam ita dicit, motum esse speciem quantitatis, ut simul asserat, tēpus non esse quantitatem à motu distinctam. Constat autē, tempus solum esse quantitatem eandem realiter cū motu formaliter sumpto. Neque rationes adductæ pro prima sententia aliquid probant contra hoc; nam motus formaliter sumptus, nec sumit specificationem à termino, cum hoc solum competat motui sumpto materialiter. Nec est ens incompletum, sed completum, non secus, ac est tempus, cum quo identificatur.

SECTIO II.

Explicatur, an tempus sit species quantitatis continuæ

19 **P**Artem negativā tenent Suarez in Met. disp. 49. sect. 9. Sanch. lib. 5. q. 17. Marcia disp. 2. q. 3. Caber. disp. 2. dub. 7. & alij, & videtur esse Scoti loco quarti sect. præced. citato in favore secundæ sententiæ; dū ait: *tēpus non est quantitas; quia v. a quantitas non est in alia, & tempus est in motu.*

20 Probant: primò ex Aristor. qui 5. Met. ait, tempus esse quantum, sicut, & motum, per accidēs; & reddit rationem; quia tempus est quantum per motum, & motus per mobile. Secundò, quia illud, quod non est ens reale, non potest speciem quantitatis constituere. Sed tempus non est ens reale: ergo, &c. Minorem probant. Primò, quia partes temporis nō sunt reales, cum præteritum iam non sit, & futurum nondum advenerit. Secundò, quia tempus (vt supra dicebamus) est numerus, seu mēsurā motus. Sed esse mensuram non est quid reale, cum sit quid dependens ex hominum institutione: ergo neque esse tempus.

21 Tertiò, quia de ratione quantitatis successivæ est, vt sit impenetrabilis, saltem naturaliter, cum alia in eodem spatio durationis. Sed tempus potest penetrari cum alio tempore in eodem spatio durationis: ergo tempus non est quantitas. Probo minorē; nam in eadem hora possunt durare, quā in plures motus simul, v.g. alterationis, augmentationis, locales, &c. ergo & plura tempora, quibus illi motus intrinsecè mensurantur.

22 Quartò, quia tempus, quo durat motus primi mobilis, non potest mensurari: ergo non est quantitas. Consequentia patet, nam ratio mensuræ, tam activæ, quā passivæ (vt ex dictis disp. 1. huius capituli q. 3. à n. 12. constat)

sunt propriæ passiones quantitatis. Antecedens probatur, nam tale tempus est mensura omnium.

23 Sed his non obstantibus nobis tenendum est, tempus esse quidem speciem quantitatis continuæ, sed non distinctam essentialiter, & in ratione quantitatis à quantitate continua, quam se&. præced. diximus convenire motui formaliter, & quatenus fluxus est considerato. Itaque sicuti in quæst. præced. n. 5. dicebamus, locum esse quidem speciem quantitatis, sed non essentialiter, & in ratione quantitatis distinctam à superficie, sed solum accidentaliter, ratione continentia, quam pro formali importat; ita modo dicimus, tempus esse speciem quantitatis continuæ, non tamen essentialiter, & in ratione quantitatis distinctam à motu formaliter, & quatenus est fluxus, considerato; sed solum accidentaliter, ratione mensuræ extrinsecæ, quam tempus dicit pro formali.

24 Hæc est meo videri germana mens Scoti; nam priorem partem, scilicet tempus esse speciem quantitatis continuæ docuit expressis verbis q. 23. prædicamentali; & vt Scoti eam tenent Scotistæ. Tarraret. & Maironis locis citatis in se&. præced. n. 11. quos ex alijs plures secuntur, Rubius q. 3. Didacus à Iesu q. 2. Mafius se&. 3. q. 5. Cursus Carmelit. disp. 13. q. 5. estque inter Authores magis communis, & recepta.

25 Et, præter autoritatē Arist. qui tempus in hoc cap. inter species quantitatis continuæ enumeravit, ratio efficax pro ipsa est, quia tempus habet partes, scilicet præteritum, & futurum, natura sua exigentes non penetrari in eodem spatio durationis, quæ cōtinuantur termino communi, scilicet instanti præsentis: ergo non est, cur illi rationem quantitatis continuæ denegemus.

26 Posteriorem verò partem tenet Scotus loco quarti adducto pro prima sententia. Non enim ibi intendit, tempus non esse speciem quantitatis saltem pro materiali. Imò, cum ibi rationem quætitatis motui formaliter sumpti concedat, & de tempore ibidem affirmet, pro materiali esse motum formaliter sumptum, planè fatetur, tempus pro materiali esse quantitatem. Quod autem intendit est, tempus non esse quantitatem consideratam secundum illam rationem mensuræ extrinsecæ, quam dicit pro formali, & addit supra motum.

27 Et hinc desumitur ratio à priori pro ista parte; nam ratio mensuræ extrinsecæ, quam pro formali dicit tempus, & per quam distinguitur à motu, non est quantitas, nec quid spectans ad prædicamentum quantitatis; siquidem consistit in denominatione extrinsecæ ex institutione hominum proveniente, supponente, tanquam fundamentum, in du-

ratione motus, quæ sumitur ad regulandum, conditiones illas, quæ loco citato enumeravit Scotus, scilicet uniformitatem, regularitatem, &c. quæ etiam conditiones non sunt spectantes ad prædicamentum quantitatis, sed relationis: ergo ratione ipsius non potest tempus esse species quantitatis continuæ diversa essentialiter, & in ratione quantitatis à motu, sed solum accidentaliter; non secus, ac dicebamus, locum differre à superficie.

28 Sed contra hanc ultimam partem obijciat aliquis, tempus realiter distinguitur à motu: ergo, si tam motus, quam tempus sunt per se quantitates, sequitur, quod tempus, & motus non sint eadem, sed diversæ per se quantitates. Antecedens probari potest argumentis, quæ fecit Scotus in secundo distinctione 2. in principio quæstionis 2. Primum, quia mensura, & id, quod mensuratur, sunt distincta; sed tempus est mensura motus: ergo tempus distinguitur à motu. Secundum, quia tempus non est velox, aut tardum; motus autem dicitur velox, aut tardus. Tertium, quia existentibus eisdem partibus temporis, possunt multiplicari partes motus, ut patet in illo, qui duplo velocius currit alio per unam horam; nam partes temporis in utraque motu æquales sunt, non tamen partes motus.

29 Sed ad hæc omnia facillimè

mè respondetur, probare quidem, tempus esse realiter distinctum à motu materialiter sumpto, id est, pro forma fluente in fieri, & esse imperfecto considerata: non verò probare, tempus esse realiter distinctum à motu sumpto formaliter, id est, pro fluxu, seu duratione illa successiva, quæ consumitur in motu materialiter sumpto. Imò potius convincit oppositum; cum omnia, quæ in argumentis attribuantur tempori, etiam motui formaliter sumpto applicari possint. Est enim mensura motus materialiter sumpti; nec habet quòd sit velox, vel tardus, sicut habet motus sumptus materialiter; & partes eius minimè multiplicari possunt, non multiplicatis partibus temporis. Unde argumentum nil valet, aut concludit; nam nos non diximus, motum esse per se quantitatis speciem sumptum materialiter; qua ratione distinguitur à tempore; sed sumptum formaliter, qua ratione à tempore realiter non distinguitur, sed solum formaliter.

30. Obijcies secundò. Illæ sunt species quantitatis continuæ, diversæ, quæ habent diversa continuativa. Sed partes motus formaliter sumpti; & partes temporis continuantur diversis continuativis; nam continuativa partium motus sunt indivisibilia, quæ dicuntur mutata esse; continuativa verò partium temporis sunt

indivisibilia, quæ dicuntur instantia: ergo falsò dicimus, motum formaliter sumptum, & tempus non esse distinctas species quantitatis continuæ.

31. Respondetur, nos non dicere, motum formaliter sumptum, & tempus non esse species quantitatis continuæ distinctas; sed non esse species quantitatis distinctas essentialiter, & in ratione quantitatis; nam accidentaliter illas distinctas admittimus ratione mensuræ extrinsecæ, quam tempus addit supra motum. Et hanc solum distinctionem accidentalem probat argumentum; nam indivisibilia, quibus copulantur partes motus formaliter sumpti; & indivisibilia, quibus copulantur partes temporis, eadem realiter, & essentialiter sunt, & solum accidentaliter differunt; nimirum quia instantia copulant partes durationis, quæ, cum induant rationem mensuræ extrinsecæ, tempus præsens, & tempus futurum appellantur, & consequenter indivisibilia, quibus copulantur, instantia. At mutata esse copulant partes durationis, quæ, cum non induant rationem mensuræ extrinsecæ, sed meri fluxus, prædictæ partes non dicuntur tempora, sed motus, & consequenter indivisibilia, quibus copulantur, mutata esse.

32. Ad auctoritatem Aristot. pro prima sententia adducta bene respondet Scotus quæst. 23.

citata

citata, Aristot. appellare tempus quantum per accidens, seu per aliud non in genere cause formalis; qua ratione debebat esse quantum per accidens, seu per aliud, ut excluderetur a speciebus quantitatis: sed appellare illud quantum per accidens, seu per aliud in genere efficientis, eo quod esse & tunc suum esse, quod intrinsecè in ratione quantitatis continè consistit, accipit ab alio, scilicet à motu materialiter sumpto; sicut & motus materialiter sumptus habet, quod fiat in duratione quantitativè extensa à mobili.

33 Ad primam rationem negamus minorem, scilicet tempus non esse ens reale. Ad primam probationem dicimus, ex eo quod præteritum iam non sit, & futurum nondum venit, non sequi partes temporis non esse entia realia, sed non esse entia realia permanentia, & quæ simul existant. Ad secundam, solùm probare id, quod nos in secunda parte nostræ sententiæ statuimus, scilicet, tempus pro formali, qua ratione distinguitur à motu, non distingui in ratione quantitatis, quam tempus dicit pro materiali, essentialiter, sed solùm accidentaliter.

34 Ad secundam respondetur, quod sicut in permanentibus non sequitur, quod duo corpora penetrarentur, ex eo, quod vtrumque sit sub eodem loco communi, ut est cælum, seu vltima eius superficies; quia ad penetrabilitatem requiritur, quod vnum corpus sit simul cum alio in loco proprio, & speciali illius: ita in successivis non sequitur, quod duo tempora penetrarentur ex eo, quod vtrumque sit sub eadem duratione communi, ut est duratio primi mobilis, sed necessarium erat, quod vnum tempus esset simul cum alio in eadem duratione propria alterius. Quod nullatenus contingit ex eo, quod sint simul plures motus.

35 Ad tertiam bene respondet Scotus in 2. distinct. 2. quæst. 3. lit. B. (& desumpsit ex Aristot. 4. Physic. tex. 114.) negando antecedens. Ad probationem dicit, tempus, quod est mensura omnium, posse se ipsum mensurare, si per intellectum assignemus, & determinemus vnam partem; quæ postea, cum nota sit, est nata mensurare totum; sicut solemus in panno determinare vnam vnam, & ista nota, per ipsam totum pannum mensurare.

DISPUTATIO III.

De speciebus quantitatis discretæ.

POST QUAM egimus de speciebus quantitatis continuæ, agendum restat de speciebus quantitatis discretæ, quæ est, quæ resultat ex divisione continui; & quia solum duæ species quantitatis discretæ hîc numerantur ab Aristot. scilicet numerus, & oratio, ideò in duas tantum quæstiones secabitur hæc disputatio. In prima agemus de numero. In secunda de oratione.

QUAESTIO PRIMA.

Utrum numerus sit vera, & propria species quantitatis discretæ?

PRÆSUPPONIT quæstio ex Arist. in hoc capite, dari quantitatem discretam, cujus essentia in eo cõsistit, vt habeat partes ita quantitativè extensas, vt non sint copulatæ aliquo indivisibili, seu rerum in cõmuni. Et similiter præsupponit, hanc quantitatem non enumerasse Arist. vt speciem infimam, sed vt genus, seu speciè subalternam cõtinentem sub se duas species, quas Arist. numerum, & orationem appellavit. Quod igitur quærit, est, vtrum prior ex his, scilicet numerus, sit verè, & propriè species quantitatis discretæ?

2. Et præsuppono, duplicem esse numerum, sicut & duplices sunt virates, quæ sunt partes, ex quibus numerus componitur; transcendentelem scilicet, & prædicamentalem. Numerus transcendentalis dicitur multitudo unitatum transcendentalium, quæ sunt illæ, quæ sequuntur ens; & sic reperiuntur in omni prædicamento. Tales sunt numeri trium substantiarum, trium relationum, &c. Numerus prædicamentalis est multitudo unitatû consequentium solum ad quantitates; verbi gratia, numerus trium linearum, trium superficialium, &c.

Cum

Cum igitur in hac quaestione inquirimus. Vtrum numerus sit species quantitatis discretæ? non est sermo de numero transcendentali; quia de hoc certum est, non esse speciem quantitatis, cum eius partes non sint per se extensæ; sed de numero prædicamentali, & qui habet partes quantitativè extensas per se.

3 Partem negativam, scilicet numerum non esse verè, & propriè speciem quantitatis, tenent Durandus in 1. distinctione 43. quaestione 2. artic. 1. nosse Othmanus in primo distinct. 24. quaest. 2. ibidem Gregorius Ariminensis artic. 2. Marsilius distinct. 27. articulo 1. Conimbricensis hinc quaestione 2. artic. 1. Fonseca 5. Metaphysic. cap. 7. quaest. 5. sect. 2. & cap. 13. quaestione 4. Suarez in Metaph. disputat. 41. sect. 1. Vazquez 1. par. disputatione 26. cap. 3. Oña hinc quaestione 2. articulo 4. & Caberus disputatione 2. dub. 8.

4 Quorum fundamentum est, quia existimant, numerum non esse unum per se; quod est conditio ad rationem speciei veræ, & propriæ cuiuscumque prædicamenti requisita. Assumptum probant ex Aristot. multis in locis; nam 3. Physic. cap. 7. dicit, *numerum esse plures unitates*; & 8. Metaphysic. cap. 3. *numerum non esse unum, sed sicut cuneulum.* Quod eodem sensu repetit lib. 10. capite tertio & nono.

105 Secundo probant rationibus. Prima; illud, quod componitur ex pluribus entibus in actu, & quorum unum respectu alterius non se habet, ut per se potentia ad per se actum, non potest esse unum per se. Sed numerus componitur ex entitatibus quantitativis, quarum quælibet estens in actu, cum sit quantitas perfecta, vel saltem passio perfectæ quantitatis. Et una respectu alterius non se habet, ut per se potentia ad per se actum; quia non est maior ratio, quare una sit potentia, & alia actus, quam è contra: ergo numerus non est unum per se. Secunda ratio: unum per se dicit unionem partium. Sed partes, seu unitates, quæ componunt numerum, non sunt unitæ; imò ex ratione sua intrinseca petit, quòd sint discretæ: non est ergo numerus unum per se.

6 Quòd si his Authoribus obijcias; cur Aristot. numerum enumeravit inter species quantitatis discretæ, non solum hinc, sed etiam 5. Metaph. si verum est, non esse veram quantitatis discretæ speciem? Respondet Suar. loco citato n. 20. hoc fecisse Aristot. quia numerus habet in re suum modum extensionis secundum multiplicationem, & communiter obicitur per modum unius habentis suam definitionem, & proprietates. Quòd factis est, ut in prædicamentali coordinatione constituitur.

7 Sed verior, & communior sententia tenet oppositum, scilicet numerum prædicamentalem esse unū per se, ac per consequens veram, & propriam speciem quantitatis discretę cōstituere. Ita Scotus, nō solum in Met. lib. 8. tex. 10. & lib. 5. q. 9. sed etiam in sententiarijs; licet enim in 1. dist. 24. q. vnica, §. *Respondeo* hoc non determinet, sed alibi determinandum relinquat: tamen in 3. d. 2. 2. quæst. vnica lit. L. id determinat his verbis. *Si enim homo nil esset, nisi partes unitæ sibi, homo non esset unum, nisi per aggregationem; sicut nec quinarium est unitates quinque; sed est illud rotum, quod resultat ex quinque unitatibus; aliter si esset illa quinque unitates, esset unū, sicut acervus.*

8 Scorum secuntur discipuli, Tartaret. in hoc cap. dub. 1. Eamdem sententiam amplectitur D. Tho. 5. Met. lect. 15. & latè probat lib. 8. lect. 3. atque ipsum secūtur omnes eius affectæ, quos latè refert Cursus Carmel. disput. 13. qu. 7. Est etiam recepta sententia apud Mathematicos; eamque tenet Euclides in sua Arithmetica. Et ex Sanctis Patribus idem docet Gregorius Nazianzenus in lib. *De historia sex dierum*, & D. Damascen. c. 49. suæ Dialecticæ; estque expressa Aristot. non solum in hoc cap. sed etiam 5. Met. c. 13. vbi secundum omnes ex propria sententia species quantitatis enumerat. Id autem, quod ad Aristot.

respōdebat Suarez, potiùs firmat sententiā nostram: nam, si verum est, numerum in re habere partes quātitatiuē extensas, & vnitatem sufficientem ad hoc, vt de illa assignari possit vera, & propria definitio, & demonstrari veræ, & propriæ passionis, nil profectò ei deficit ad hoc, vt vnum per se constituat, & veram speciem quantitatis faciat.

9 Sed quamvis omnes Authores citati affirmant, numerum esse vnū per se, & veram speciem quantitatis, non tamen omnes conveniunt in assignando, in quo consistat vnitatis ista per se numeri; & circa hoc est tota difficultas; nam quod numerus habeat specialem extensionem partium, & quod dictæ partes sint discretæ, fatentur omnes, & satis manifestum est.

10 Sotus q. 2. super hoc caput idèd dicit, numerū esse vnū per se, quia etiam si pro materiali, & denominato dicat vnitates quantitativas separatas, & discretas; tamen pro formali, & pro per se significato, dicit ordinem prioris, & posterioris per intellectū prædictis vnitatibus attributum numerantem secundam post primā, & tertiam post secundam, &c. Qui ordo (vt manifestum est) est vnū per se compositum ex genere, & differentia, sicut diximus in prædicabilibus esse relationem generis, vel speciei.

11 Sed hic modus explicandi vni-

vnitatem per se numeri nō est admittendus; nam ex eo manifestē sequitur, numerum pro formali non esse ens reale, ac per consequens, neque veram speciem quantitatis. Pater sequela; nam hic ordo prioris, & posterioris, quem numerus secundum hunc Authorem dicit pro formali, vel est ens rationis, vel saltem denominatio extrinseca ab actu intellectus numerantis vnitates proveniens. Quare dicere possumus de hoc Authore, quod *incidit in scyllam cupiens vitare Carybdim*: siquidē cupiens assignare in numero vnitatem per se absolutē ab illo entitatem realem, quæ non est minùs requisita ad veram speciem quantitatis, quàm vnitas per se.

12 Aliter conatur assignare in numero vnitatem per se D. Th. 8. Met. lect. 3. Albert. Mag. in prædicamentis titulo 8. Iabell. 8. Metaph. Capreol. in 1. d. 24. q. 1. & quàm plures alij ex Thomistis. Dicunt ergo numerum esse vnum per se, quia ex pluribus vnitatibus quas includit, priores se habent, vt materia, & vltima, vt forma. Vnde cōsequenter affirmant, vltimam vnitatem esse formam numeri, & duos numeros, v.g. binarium, & ternarium differre specie, eò quòd consentent diversis vltimis vnitatibus, quæ sunt formæ, à quibus numeri accipiunt specificationem.

13 Quòd si his Authoribus obijcias: compositio ex materia, &

forma faciens vnum per se solum reperitur in substantijs materialibus. Sed numerus non est substantia materialis: ergo falsò dicitur, numerum componi ex prioribus vnitatibus, tanquam ex materia, & ex vltima, tanquam ex forma. Respondent interpretes D. Tho. numerum dici ab Angelico Doctore componi ex prioribus vnitatibus, tanquam ex materia, & ex vltima, tanquam ex forma; non quia priores vnitates sint vera materia, & vltima vera forma; sed quia priores vnitates respectu vltimæ se habent, vt quid contrahibile, quod est proprium materiæ, & vltima vnitas se habet, vt quid contrahens, & determinans; quòd est proprium formæ.

14 Sed neque hic modus explicandi vnitatem per se numeri est admittendus; quia (vt optime docuit Scotus locis Metaph. citatis, & cum eo non solum Scotistæ omnes, sed etiam plures Thomistæ), falsum est, quod in ipso assumitur, scilicet in numero priores vnitates ex natura rei, & seclusa operatione intellectus esse quid potentiale, & contrahibile, ac per consequens se habere per modum materiæ; vltimam verò vnitatem esse quid contrahens priores vnitates; ac per consequens se habere per modum formæ. Quòd hac ratione facile demonstrare possumus.

15 Vel priores vnitates dicuntur, & sunt contrahibiles, & vltimæ

ma contrahentes inquantum unitates sunt, vel inquantum priores, & ultimae sunt? Non inquantum unitates sunt, quia, cum ut sic omnes sint eiusdem rationis, non apparet ratio, cur istae, dicantur, & sint contrahentes, & illae contrahibiles, & non e contra. Neque inquantum priores, & ultimae sunt; quia, cum esse priores, & esse ultimas sint denominationes extrinsecae convenientes unitatibus per operationem intellectus ipsas enumerantis, si solum habent unitates esse contrahibiles, & contrahentes ex eo, quod priores, & posteriores sunt, habebunt hoc sane, non a se, sed per operationem intellectus. Quod est incidere in opinionem Soti iam refutatam.

16. Respondet Rubius huic argumento, primas unitates esse contrahibiles, & quid potentiale, & ultimas esse contrahentes, & quid actuale, non inquantum praecise unitates sunt, neque etiam inquantum primae, aut ultimae sunt actu, sed inquantum sunt unitates aptae naturae esse primae, vel ultimae. Quae aptitudo non est denominatio extrinseca, sed quid reale, & intrinsecum ipsis unitatibus.

17. Sed haec solutio frivola est; ex ea enim sequuntur duo maxima absurda. Primum, quod in numero determinato, verbi gratia, in ternario, vel quaternario non esset determinata materia, vel quasi materia, neque determinata for-

ma, vel quasi forma. Patet sequela; quia, cum omnes illae unitates, quantum est ex se, aptae sint numerari prius, vel posterius, non erit maior ratio, cur istae sint in ternario determinabiles, & quasi materia, & illae denerminantes, & quasi forma, quam e contra. Secundum absurdum est, quod iam eadem unitas respectu eiusdem numeri esset simul forma, & materia. Patet sequela; nam eidem unitati respectu eiusdem numeri competit esse aptam numerari prius, quod est esse materiam; & similiter competit esse aptam ex se numerari posterius; quod est esse formam.

18. Quod ultimum absurdum, etsi nullum reputet Cursus Carmelitanus numero 88. imò dicat, iuxta veram mentem D. Thomae & frequentioremodum philosophandi Thomistarum esse asserendum, unamquamque unitatem predicamentalem ex natura sua simul esse determinabilem per alias, & simul esse determinativam illarum sub diversis formalitatibus; ac pro inde simul inducere rationem materiae, & formae: idque velit suadere exemplo matrimonij; in quo uterque consensus se habet, ut materia, & forma secundum quod se adinvicem se determinant, & determinantur. Tamen nil absurdius excogitari potuit, quam dari compositionem physicam, in qua utraque pars simul induat rationem materiae,

ria, & forma. Neque exemplum matrimonij est ad rem; nam consensus contrahentium non faciunt compositionem Physicam, sed moralem.

19 Quibus accedit, in istorum sententia non salvari, à parte rei numerum à actu esse unum per se; sed solum à parte rei habere fundamentum, ut per operationem intellectus numerantis has unitates; unum per se resultat. Patet sequela; nam ad hoc, ut ex duobus unum per se resultat actu, non sufficit, quod unum sit aptum contrahi per aliud, & aliud sit aptum contrahere illud; sed necessarium est, quod unum actu sit contractum, & aliud actu contrahens. Rubius autem solum concedit à parte rei unitatibus aptitudinem ad hoc, ut sint primæ, & contrahibiles, & aptitudinem ad hoc, ut sint ultimæ, & contrahentes; quod autem actu sint primæ, & contractæ, & actu sint ultimæ, & contrahentes solum concedit eis per actualem operationem intellectus numerantis prius, quam illas.

20 Dicendum igitur nobis est cum Scoto locis citatis, idem numerum esse unum per se reale sufficiens ad constituendam veram speciem quantitatis discretæ; quia, etiam si pro materiali, & denominato dicat unitates quantitativas discretas, & separatas, ac per consequens non valentes, ut sic, unum per se constituere, ut

manifestè probant argumenta facta pro prima sententia; tamen pro formali, & pro per se significato dicit discretionem unitatum numerabilium, quæ est forma, à qua unitates illæ numerus denominantur. Quæ discretio unitatum numerabilium non solum est quid conveniens unitatibus prædictis à parte rei; sed etiam est forma per se una composita ex genere, & differentia; non secus, ac est albedo, quam pro formali dicit hoc concretum *album*; aut distinctio, quam pro formali dicit hoc concretum *distinctum*.

21 Neque hic modus explicandi unitatem per se concretorum accidentalium peculiaris est in numero, sed communis multis alijs. Hoc enim pacto docuit Scotus in 4. distinctione 1. sacramentum esse unum per se, non obstante, quod pro materiali, & denominato dicat res diversorum prædicamentorum non valentes unum per se constituere, nimirum quia formale, & per se significatum sacramenti, scilicet ratio signi sensibilis gratiæ sanctificantis nos, &c. est unum per se constans ex genere, & differentia. Et idem de domo, de exercitu, de pulchritudine, &c. docent communiter Authores.

22 Ex his patet primò, quid respondendum sit ad argumenta. Ad primam autoritatem Arist. dicimus loqui de numero pro materiali. Ad secundam bene respõ-

det Cursus Carmel. non esse fideliter relata verba Philosophi; hic enim non dicit, *numerum non esse unum, sed sicut cumulum*; sed quod si vnus est, aut erit sicut cumulus, aut explicandum erit, quid sit illud, quod ipsum vnum constituit. Verba Aristor. sunt. *Et numerum oportet aliquid esse, quo vnus, si vnus est; aut enim non est, sed quasi congeries, aut si est, dicendum est quidnam illud sit, quod eum ex multis facit.*

23 Ad rationes dicimus solum militare contra Thomistas, & alios, qui contendunt, numerum esse vnum per se, non solum pro formali, sed etiam pro materiali; non vero contra nos, qui ita dicimus numerum esse vnum per se pro formali, & pro per se significato, vt simul negemus esse vnum per se pro materiali, & denominato.

24 Secundò pater ex dictis, quid sit assignandum in numero pro materia, & quid pro forma. Respondetur enim, quod, si sermo sit de materia, & forma propriè dictis, nil est in numero, quod possit appellari materia, vel forma; quia compositio ex materia, & forma propriè sumptis solum reperitur in substantijs materialibus, non vero in accidentibus, vt est numerus.

25 Si verò per materiam intelligamus id, quod hoc concretum numerus dicit pro denominato, & per formam id, quod dicit pro

per se significato respòdetur, materiam, seu (vt propriùs loquar) materiale esse vnitates prædicamentales aptas numerari; formam autem, seu (vt propriùs loquar) formale esse discretionem istarum vnitatum, à qua prædictæ vnitates numerus dicuntur.

26 Si demum per materiam intelligamus id, quod habet rationem contrahibilis, & per formam id, quod habet rationem contrahentis, distinguendum est de numero sumpto materialiter, & de numero sumpto formaliter. Et loquendo de numero sumpto materialiter, hoc est, pro vnitatibus prædicamentibus, dicendum est, in numero, vt sic, à parte rei non esse materiam, neq; formam; quia (vt probatum est contra Thomistas) vnitates, quas numerus dicit pro materiali, non habent inuicem comparata à parte rei, quod vnæ sint contrahibiles per alias; licet per intellectum illarum, quæ numerantur priùs, possint dici, quasi contrahi, & determinari ab illis, quæ numerantur posterius; & consequenter priores habere rationem materiæ, & posteriores rationem formæ.

27 Si verò loquamur de numero sumpto formaliter, & in abstracto, (qua ratione debent sumi accidentia in serie prædicamentali, vt diximus cap. 4. Categoriarum de Divisione incomplexorum disputat vnica q. 2. n. 26.) dicendum est, genus, (in quo conueniunt ter-

nitas,

nitas, & quaternitas, quæ sunt species infimæ quantitatis discretæ, quæ dicitur numerus) scilicet discretionem unitatum prædicamentaliū numerabilium in comuni esse materiam, cum sit quid contrahibile: differentias verò, per quas hoc genus contrahitur ad prædictas species ternitatis, & quaternitatis, scilicet quoddam unitates discretæ sint tres, vel quatuor, esse formas, cum sint quid contrahens prædictam genus.

28 Si autem contra hoc insurgas: ablata à ternatio vltima unitate definit esse ternarius: ergo vltima unitas est forma numeri ternarij. Responderetur negando consequentiam; quia solum ex hoc sequitur; vltimam unitatem esse necessariam ad consistentiam formæ ternarij, quæ in discretionem trium tantum unitatum prædicamentaliū, nec plurium, nec paucarum sita est. Et quod hoc sit verum patet; nam æquè definit esse ternarius, si auferatur prima, aut media unitas, ac si auferatur vltima. Quod manifestè indicat, formam numeri non consistere formaliter in vltima unitate; sed in discretionem prædictarum trium unitatum.

QVÆSTIO II.

Vtrum oratio sit vera species quantitatis discretæ? & à numero distincta?

IN Omne orationis non intelligimus (neque intellexit Arist.) id, quod intellexit 1. Peri-

herm. c. 4. dum ait: *Oratio est vox significativa ad placitum, cuius aliqua pars separata significat*; sed quaecumque vocem articulatam pluribus syllabis constantem, siue significativa sit, vt vox *homo*, siue expers significationis, vt vox *blitiri*. Imò parū ad hoc refert, quod sit ore prolata, vel quod profertur manibus, vel quod enuncietur aliquo instrumento, vt est musica, saltatio, &c.

2 Solum est advertendum; in oratione prædicto modo sumpta plura nos posse considerare; nam in primis sunt plures syllabæ, seu soni, qui causantur per prolationem eius. Secundò sunt motus, seu prolationes harum syllabarum tot, quot sunt ipsæ syllabæ; qui discontinui sunt aliqua quiete; licet propter parvitatem eius sensui imperceptibilis sit prædicta quies; & consequenter ipsa discontinuatio; & sic nobis videtur esse vnicum tantum motum continuum. Tertio sunt plures, & discontinuæ durationes, quibus intrinsecè mensurantur prædicti motus, quæ, etiam si vnæ sint longiores alijs secundum exigentiam syllabarum, quæ profertur, omnes tamen ita sunt parvæ, vt propter suam parvitatem cõmuniter morule nuncupentur. Quarto est armonia, seu sonoritas quædam, ratione cuius omnes istæ syllabæ, & consequenter omnes isti motus, & omnia ista tempora, seu morule coordinantur ad orationem artificiosè componendam.

3 Quinto addit Rubius, in oratione esse extensionem, seu corpulentiam propriam syllabarum, seu sonorum. Sed de hoc non est curandum, nam in syllabis, seu in sonis, ex quibus oratio componitur, nescio, quam extensionem, seu corpulentiam potuit Rubius excogitare, præter illam, quam sonus accipit, vel à subiecto, in quo est, vel à tempore, quo durat, quas extensiones manifestum est, non esse proprias sonus, seu syllabæ; sed eis per accidens convenire.

4 His suppositis Authores, qui quæ præced. negabant, numerum esse speciem quantitatis, idem affirmant de oratione; non solum quia oratio dicit multitudinē syllabarum, motuum, & temporum, seu morularum; quorum vnum cum non se habeat respectu alterius, ut per se actus ad per se potentiam, non apparet, quo pacto possint vnum per se constituere. Sed etiā quia quantitas discreta debet componi ex partibus, quæ sint quantitates continuæ; & secundum ipsos neque syllabæ, neque motus, neque morulæ, seu tempora, quibus constat oratio, sunt per se quantitates continuæ. Hanc eadem sententiam tenent etiam ex his, qui affirmant, numerum esse veram speciem quantitatis, Caietanus, & Lobanenses super hoc capite. Quibus videtur favere Aristoteles, qui 5. Metaph. enumerans ex propria sententia species quantitatis, non meminit orationis.

5 Sed vera, & communis sententia tenet oppositum, scilicet orationem, & esse vnum per se, & veram speciem quantitatis discretæ distinctam à numero constituere. Hoc expressè docuit, & probavit Aristot. in hoc capite ex propria mente, & sententia. Sic enim ait. *Quod autem oratio quantitas sit, manifestum est.* Qui enim manifestum aliquid esse decernit, non ex aliorum sententia, sed ex propria mente loquitur. Secuti sunt Scotus noster hinc quæst. 19. D. Thom. opusculo 48. tract. 3. cap. 2. & in 4. distinct. 3. quæst. 1. art. 3; quæstiuncula 4. ad primum, Albertus Magnus tract. de Quantitate capite 2. & quam plures alij, quos citat, & sequitur Curfus Carmelitanus disputat. 13. quæst. ult.

6 Et quidem orationem esse vnum per se probari potest eadem ratione, qua quæstione præcedenti idem probavimus de numero; scilicet, quia etiam si oratio pro materiali dicat plures syllabas, vel plures morulas, vel plures motus, ex quibus vnum respectu alterius non se habet, ut per se actus ad per se potentiam; tamen pro formali dicit discretionem armonicam eorum: quæ non solum est forma realis, sed etiam est vnum per se compositum ex genere, & differentia; sicut & omnes aliæ formæ accidentales sunt.

7 Quod autem sit vera species quantitatis discretæ probari similiter

liter potest; quia, etiam si vt dicit multitudinem sonorum, vel syllabarum, & similiter, prout dicit multitudinem motuum, oratio non possit dici species quantitatis discretæ; quia (vt argumentum obijcit) quantitas discreta debet componi ex quantitatibus continuis, quales non sunt syllabæ, neque motus; tamen, vt dicit multitudinem harmonicam, & sonoram modularum, seu temporum, quibus prædictæ syllabæ, seu motus mensurantur, negari non potest, esse quantitatem discretam; siquidem, vt sic, dicit multitudinem harmonicam quantitatum continuarum successivarum; ac per consequens extensionem secundum multitudinem partium quantitativè extensarum, quæ termino communi non copulantur; quod est esse speciem quantitatis discretæ.

8. Maior est difficultas in explicando, quo pacto sit species quantitatis discretæ distincta à numero, qui est species quantitatis, quæ cum ipsa in genere proximo convenit. Aliqui existimant, orationem esse speciem quantitatis essentialiter distinctam à numero, quia etiam si numerus, & oratio conveniant in hoc, quod utriusque est multitudo quantitatum continuarum; tamen numerus est multitudo quantitatum continuarum permanentium, at oratio est multitudo quantitatum continuarum

successivarum. Sed hæc ratio intentum non cõcludit. Primò, quia quòd quantitates continuæ, ex quibus, tam numerus, quam oratio componuntur, sint permanentes, vel successivæ, solùm est differentia se tenens ex parte materiæ numeri, & orationis: ergo per illam non poterunt numerus, & oratio formaliter, & essentialiter differre in genere quantitatis discretæ. Antecedens est manifestum; nam permanentia, & successio est differentia quantitatum continuarum, quas tam numerus, quam oratio includunt pro materiali. Consequentia verò, præterquam quòd per se est nota, probari potest; quia, si differentia materialis, & tenens se ex parte materiæ numeri, & orationis sufficeret ad illa diversificanda formaliter, & specie, sequeretur hoc absurdum, scilicet ternarium compositum ex tribus lineis esse formaliter, & specie diversum à ternario composito ex tribus superficiebus. Patet sequela, nam tres lineæ, ex quibus componitur primus ternarius specie differunt à tribus superficiebus, ex quibus componitur secundus.

9. Secundò prædicta ratio intentum non cõcludit; quia falsum est id, quod in ipsa supponitur, scilicet numerum prædicamentalem solùm cõponi ex quantitatibus continuis permanentibus; nam numerus trium dierum,

trium

trium horarum, &c. discontinuarum verè numerus prædicamentalis est; siquidem constat unitatibus quantitativis; & manifestum est, quantitates, ex quibus constat, non esse permanentes, sed successivas.

10 Propter hæc dicunt alij, orationem differre essentialiter à numero; quia oratio dicit extensionem secundùm multitudinem armonicam, & sonoram; quam armoniam, & sonoritatem in sua extensione non dicit numerus. Ita respondent Didacus à Iesu disputatione 13. quæstione 2. & Cursus Carmelitanus loco citato. Sed neque hæc ratio intentum convincit. Quod sic demonstrat. Species quantitatis non possunt essentialiter differre per id, quod per se non pertinet ad prædicamentum quantitatis. Sed armonia, & concentus non pertinent ad prædicamentum quantitatis per se, sed vel ad prædicamentum relationis, vel qualitatis: ergo per armoniam, & concentum, quam includit oratio in sua extensione, quam non includit numerus, non poterunt numerus, & oratio in ratione quantitatis essentialiter, & specificè differre; sed solum different accidentaliter, sicut supra diximus de loco, & superficie.


11 Dicendum igitur est cum Scoto quæst. 19. citata, orationem differre à numero essentialiter,

& specificè in ratione quantitatis discretæ non per differentiam materiale, sed per differentiam formalem; illam tamen non esse nobis notam, qui vix aliquis speciei specialissimæ differentiam propriam, & intrinsicam agnoscimus. Vnde non mirum, si illam non possumus assignare. Et quòd hoc sit verum, manifestè colligitur à posteriori, & à signo, siquidem in oratione aliquid semper videmus, quod nunquam in numero reperitur, scilicet armoniam, & concentum quemdam in extensione: qui concentus, & armonia, licet non sit differentia per se in genere quantitatis, est tamen signum evidens, quòd in numero, & oratione sunt differentie intrinsecæ, & specificæ nos latentes.

12 Ex his non erit difficile explicere, quo pacto prædicamentum quantitatis sit ordinandum. Nam dicimus, genus generalissimum esse quantitatem in communi, quæ immediatè dividitur, tanquam per differentias formales in has duas species subalternas, scilicet in quantitatem continuam, & in quantitatem discretam: & discretam rursus subdividitur in numerum, & orationem; quæ adhuc non sunt species infimæ, sed subalternæ, cum numerus sub se contineat binarium, & ternarium, &c. qui sunt numeri specie diversi; & orationes specie diversas penes diver-

diversas armonicas extensiones. Similiter quantitas continua subdividitur in quatuor species infimas, de quibus supra fecimus mentionem, scilicet in lineam, superficiem, corpus, & tempus. Et hæc solùm sunt divisiones pertinentes ad coordinationem arboris prædicamentalis quantitatis: nam duæ aliæ divisiones, quibus Aristot. dividit quantitatem in communi, scilicet in quantum permanens, & in quantum successivum; & similiter in quantum, cuius partes habent positionem in continuo; & in quantum,

cuius partes non habent talem positionem, non pertinent ad coordinationem arboris prædicamentalis; nam (ut supra dictum est) sunt differentiæ materiales quantitatis, & non formales. Et hæc est ratio, cur, tam sub quantitate continua, quàm sub quantitate discreta aliquæ ex his differentiis simul reperiantur, etiam si quantitas continua, & quantitas discreta sint species immediate oppositæ dividentes quantitatem in communi, quæ est genus generalissimum huius prædicamenti.



CAPVT

CAPVT SEPTIMVM

DE AD ALIQVID.

TEXTVS. *Ea verò dicuntur ad aliquid, quæ id, quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur, &c.*

RECOPIATIO TEXTVS.

IN TENTVM Arist. in hoc capite est agere de prædicamêto ad aliquid; dividiturquè in duas partes. In prima ponit Arist. vulgarem definitionem relativorum; & eorum proprietates, quæ ex prædicta definitione consequuntur. In secunda, reiecta hac definitione, relativa definit ex propria sententia; ex qua definitione veram relativorum proprietatem colligit.

Accedendo ad primam partem, dicit Arist. vulgarem antiquorum definitionem hæc esse: *Ad aliquid ea dicuntur, quæ id, quod sunt, aliorum esse, aut ad aliquid aliquo alio modo dicuntur.* Ponit deinde proprietates relativorum, quæ ex hac definitione consequuntur. Prima est, relativa habere contrarium; nam virtus, & vitium, quæ secundum hanc definitionem sunt relativa, contraria sunt. Secunda proprietatis est, quòd relativa suscipiunt magis, & minus; nam vnum dicitur magis simile, quàm aliud. Hæc

autem proprietatem docet, non convenire omnibus relativis, nam non convenit duplo, & alijs similibus. Tertia proprietatis est, quòd relativa dicantur ad convertentiam, id est, quòd mutuò se inferant, & declarent; vt si est pater, alicuius filij est pater, &c. Hanc docet convenire omnibus, si re rectè assignentur nomina. Quarta proprietatis est, vt relativa sint simul natura. Et hanc docet, non convenire omnibus relativis; nam scientia, & scibile sunt relativa, & non simul natura; cum scientia sit posterior scibili.

In secunda parte rejicit hanc antiquorum definitionem dicēs, non esse rectam; quia ex ea sequitur, partes substantiæ, vt est caput, manus, &c. esse relativa, ac per consequens non debere in prædicamêto substantiæ, sed in isto collocari; quod est absurdum. Probat sequelam; nam partes substantiæ id, quod sunt, aliorum esse dicuntur; caput enim alicuius capitati est caput; & sic de alijs. Vnde ex pro-

propria sententia aliam ponit relativorum definitionem, scilicet; *relativa sunt, quorum totam suam esse est referri ad aliud*, ut pater, filius, &c. Ex qua definitione colligit Aristot. quintam proprietatem relativorum esse, quod sint si-

mul cognitione, & definitione; id est, quod, qui cognoscit unum, necessario debeat cognoscere aliud; & qui propriam definitionem unius scit designare, sciat etiam, & alterius definitionem assignare. Hæc Arist. in litera.

ANNOTATIONES

circa literam.

CIRCA ordinem procedendi dubitari potest, cur Aristot. prius agat de relatione, quàm de qualitate, cum 5. Metaphysic. prius agat de qualitate, quàm de relatione? Responderet Aristot. 5. Metaph. prius egisse de qualitate, quàm de relatione, quia qualitas perfectior, & nobilior est, quàm relatio: hic verò prius egit de relatione, quàm de qualitate, ut sic servaret ordinem doctrinæ, qui postulat, ut illa præmittantur, quæ magis ad priorum cognitionem sunt necessaria; & manifestum est, ad cognitionem quantitatis, de qua antea egerat, magis necessariam esse cognitionem relationis, quia illius sæpè meminerat in prædicamento quantitatis, non verò qualitatis.

2. Circa definitionem antiquorum ab Arist. relatam notandum est, relativa, quæ sunt ea, quæ ad aliud referuntur, esse in duplici differentia. Quædam enim sunt,

quibus est essenziale referri, verbi gratia, pater, filius, dominus, servus, &c. Quædam verò sunt, quibus referri est accidentale; verbi gratia, album, & albedo, quæ etiã si mutuo referantur, (dicimus enim, album est albi albedo) nõ tamen est de eorum essentia referri, cum utrumq; formaliter significet absolutum; sed hoc competit illis accidentaliter, ratione relationum realium, vel rationis, quæ illis sunt annexæ; albedo enim habet annexam relationem causæ formalis, & album relationem effectus formalis.

3. Inter hæc duo genera relativorum est duplex discrimen. Primum, quod relativa, quibus convenit referri essentialiter, directè, & per se dicunt relationem; indirectè verò, & cõnotativè rem, cui accidit talis relatio. Unde consequenter collocari debent in prædicamento relationis; si entia cõpleta sunt, & non modi intrinseci rerum di-

verborum prædicamentorum; ut contingit in relativis, quæ dicuntur transcendente a taliâ. At relativa, quibus accidentâliter convenit referri directè, & per se dicuntur entitates absolutas, indirectè verò, & connotativè relationes, quibus accidentaliter referuntur. Vnde non in prædicamento relationis, sed in alijs prædicamentis debent collocari.

4 Secundum discrimen est, quòd relativa posterioris generis appellari solent, & debent relativa secundùm *dici*; quia, etiam si dicantur, & denominentur relativa, re vera non sunt relativa, sed potius sunt absoluta. At verò relativa prioris generis appellari solent, & debent relativa secundùm *esse*; quia non solum denominantur relativa, sed re vera talia sunt, cum per se significatum illorum relatio sit.

5 Ex his possumus quatuor colligere. Primum est, optimè Aristot. definitionem antiquorù, ut ineptam tacitè reiecit; quia, cum iuxta illam dicantur relativa quæcumque, quæ id, quod sunt aliorum esse dicuntur, hac definitione non solum comprehenduntur relativa secundùm *esse*, quæ sunt, quæ pertinent ad hoc prædicamentum; sed etiam relativa secundùm *dici*, quæ (ut dictum est) non pertinet ad hoc prædicamentum; nam relativa secundùm *dici*, v. g. albedo, album, &c. licet factum esse non sit referri ad aliud;

tamen illud esse, quod habent, alterius esse dicitur; albedo enim (ut supra dictum est) dicitur esse albi albedo; & album dicitur esse albedine album.

6 Secundum est, particulas secundùm *dici*, & secundùm *esse* non esse differentias relationum, sed relativorum. Vnde licet concedendum sit, inter relativa quædam esse secundùm *dici*, illa scilicet, quæ directè, & per se dicunt rem absolutam, & solum connotativè, & indirectè relationem realem, aut rationis. Et alia secundùm *esse*, illa scilicet, quæ directè, & per se dicunt relationem; non tamen est concedendum, relationes esse in duplici differentia; quædam secundùm *dici*, & quædam secundùm *esse*, quia omnis relatio eo ipso, quòd est relatio, necessarium est, quòd sit secundùm *esse*; alias non erit relatio. Et quòd hoc sit verum patet; nam, si aliqua esset relatio secundùm *dici*, maximè illa, à quibus denominantur relativa secundùm *dici*, v. g. albedo, album, &c. Sed relatio causæ formalis, quam dicit indirectè albedo ad album; & relatio effectus formalis, quam dicit indirectè album ad albedinem, sunt relationes secundùm *esse*; ergo nulla est relatio secundùm *dici*.

7 Tertium est, falsò ab aliquibus confundi relativa secundùm *esse*, & relativa secundùm *dici* cum relativis realibus, & rationis, appellando relativa secundùm *esse* omnia,

omnia, & sola relativa realia; & relativa secundum dici omnia, & sola relativa rationis; siquidem hoc, quod est dicere directe relationem, & connotative absolutum; in quo consistit relativum secundum esse, tam relativis rationis, quam realibus competit; sicut enim pater directe dicit relationem realem, & connotative rem illam absolutam, quæ denominatur pater; ita genus directe dicit relationem rationis, & connotative rem illam absolutam, quæ denominatur genus. E. similiter hoc, quod est dicere directe absolutum, & connotative relationem, in quo consistit relativum secundum dici, tam competit relativis rationis, quam realibus; sicut enim albedo, & album directe dicunt quid absolutum reale, & connotative relationes cause, & effectus formalis illis annexas, ita privatio, & privatum, ut à nobis concipiantur ad modum formæ, & effectus formalis positivi directe dicunt quid absolutum rationis, & connotative relationes cause; & effectus formalis illis annexas.

8 Quartum, quod infertur, est, falso etiam ab aliquibus confundi relativa transcendentalia (ut sunt creatum, distinctum, inherens aptitudinaliter, &c.) cum relativis secundum dici, ut sunt albedo, potentia, & actus, &c. nam, cum prædicta relativa transcendentalia directe non dicant absolutum, sicut dicunt prædicta relativa secun-

dum dici, sed potius relationem, non debent inter relativa secundum dici, sed inter relativa secundum esse numerari. Quod si relationes, quas directe dicunt, non ponuntur in speciali prædicamento, sed reducuntur ad prædicamentum sui fundamentum, hoc non est, quia relationes secundum esse non sunt; (sunt etenim, non secus, ac prædicamentales) sed quia (ut docuit Scotus in 2. distinct. 1. q. 5. §. Ad argumenta, vers. Ad secundum) sunt modi quidam intrinseci convenientes enti, antequam dividatur in prædicamenta; & sic reperitur in omnibus prædicamentis, in quibus reperitur ipsum ens licet non ut prædicatum transcendentalis quidditativum; (nam plura prædicamenta sunt absoluta, & nullum relativum secundum esse potest esse de quidditate rei absolute) saltem modaliter, & denominative.

9 Circa modum loquendi annotandum est, omnia hæc in relationibus reperiri, scilicet relationem, relativum, correlativum, subiectum relationis, fundamentum remotum, fundamentum proximum, seu rationem fundandi. Relatio dicitur respectus, qui est inter duo extrema, v. g. similitudo, quæ est inter duos parietes albos. Relativum dicitur extremum, quod refertur ad aliud. Correlativum dicitur extremum relativum, quod uniretato ex altera parte correspondet, verbi gratia, filius dicitur

correlativum patris. Subiectū relationis dicitur substantia, in qua inheret relationis fundamentum, ut paries in exemplo adducto de similitudine. Fundamentum remotum est ratio remota, propter quam aliqua referuntur, ut albedo in exemplo adducto de similitudine. Fundamentum proximum, seu ratio fundandi dicitur ratio proxima, propter quam aliqua referuntur, verbi gratia, unitas in qualitate dicitur fundamentum proximum, seu ratio fundandi relationem similitudinis inter duos parietes albos.

10. Item relationes secundum esse sunt in multiplici differentia. Quædam sunt rationis, illæ scilicet, quæ fiunt ab intellectu, ut relatio generis, speciei, &c. quædam reales; illæ scilicet, quæ oriuntur in rebus seclusa intellectus operatione. Et inter reales quædam sunt prædicamentales, & quædam transcendentales, de quarum differentia numero 8. dictum est. Et inter prædicamentales quædam dicuntur intrinsecus advenientes, illæ scilicet, quæ posito fundamento, & termino,

statim resultant: quædam verò extrinsecus advenientes, illæ scilicet, quæ posito fundamento, & termino non statim resultant; de quibus latè disputabimus capite de sex ultimis prædicamentis.

11. Rursus, quædam relationes dicuntur mutæ: illæ scilicet, quibus in alio extremo correspondet alia relatio; quædam non mutæ, illæ scilicet, quibus in alio extremo nulla correspondet relatio. Item, ex mutuis quædam dicuntur æquiparentiæ; illæ scilicet, quæ sunt eiusdem rationis, & nominis in utroque extremo; ut relationes similitudinis, æqualitatis, &c. Quædam verò dicuntur disquiparentiæ; illæ scilicet, quæ non sunt eiusdem rationis, neque eiusdem nominis in utroque extremo, ut relatio patris, relatio filij, &c.

12. His prænotatis, in hoc capite tria à nobis disputanda sunt. Prima disputatio erit de relatione secundum se. Secunda de relatione respectu sui fundamenti. Tertia de relatione respectu sui termini.

DIS-

DISPUTATIO PRIMA.

De relatione secundum se.

CIRCA naturam relationis quinque quæstiones pos-
sunt exagitari. Prima, *Verum dentur, & sint rela-
tiones reales?* Secunda, *Quæ relationes reales perti-
neant ad hoc predicamentum?* Tertia, *Verum tantum
sit unicum genus supremum in hoc predicamento?* Quarta, *Verum
definitio relativorum tradita ab Arist. ex propria sententia sit exacta?*
Quinta, *De proprietatibus relativorum?*

QVAESTIO PRIMA.

Verum dentur, & sint relationes reales?

IN hoc re apud antiquos
Philosophos duplex fuit
philosophandi modus. Pri-
mus quorundam asseren-
tium, nullas esse relationes rea-
les, sed vel omnes esse relationes
rationis, vel saltem denominationes
extrinsecas respectivas desum-
ptas ex duorum absolutorum co-
existentia. Huius philosophandi
modi meminit Averroes 12. Me-
taph. commento 19. & Avicena
lib. 3. suæ Metaph. c. 10. & ipsum
postea secuti sunt aliqui ex Scho-
lasticis, Ochamus in 1. d. 3. qu. 1.
Aureolus apud Capreolum in 1.
d. 30. q. 1. & cæteri Nominales. Et
ex recetioribus citari solent Sua-

rez, Hurr. & alij. Sed hi Authores
non negant dari relationes reales;
sed non esse distinctas à fundamē-
to; quòd longè diversum est, & in-
fra discutiendum.

2 Fundamentum illorū esse po-
tuit, quia nulla relatio ponit ali-
quid reale in re absoluta, quæ re-
ferri dicitur, v. g. similitudo nil
reale ponit in parietibus albis co-
existentibus: ergo vel dicendū est,
relationem nil reale esse; vel, si ali-
quid reale est, solum esse denomi-
nationem extrinsecam relativam
desumptam ab absolutorum co-
existentia. Consequentia videtur
evidens. Antecedens verò proba-
ri potest multipliciter.

3 Primò; relatio, vt relatio, solum dicit esse ad aliud, vt patet ex definitione tradita ex propria sententia ab Aristor. Sed esse ad aliud nil reale ponit in subiecto, quod referri dicitur: ergo neq; relatio, Minor patet. Tum quia esse ad aliud reperitur etiã secundum proprietatem in relatiuis rationis; in quibus manifestum est, nil ponere. Tum etiam, quia esse ad præscindit ab esse in subiecto; ac per consequens non solum ab esse substantiæ, sed etiam ab esse accidentis, quæ sunt membra, in quæ adæquatè dividitur ens reale.

4. Secundò: omne ens reale de nouo adueniens alicui subiecto realiter immutat illud. Sed denominationes relatiuæ de nouo adueniunt subiecto sine illius mutatione; ergo denominationes relatiuæ non sunt aliquid reale in subiecto denominato. Probo minorè: ex Arist. 5. Physic. tex. 12. dicente, ad relationem non esse per se motum, quia relatio aduenit subiecto sine mutatione illius.

5. Tertiò: omne ens reale, præter Deum, habet aliquam causam sui: sed relatio nullam causam habet: ergo non est ens reale. Probo minore. Si existente aliquo albo in rerum natura, de nouo producat alind (in quacumque distantia) in albo præexistente resultat quedam relatio similitudinis, cuius non est assignabilis causa: ergo vera est illa minor, scilicet relationem non habere causam.

Probo antecedens: nam in primis illius relationis causa non potest esse agens, quod de nouo producit album. (est enim incredibile, quòd, qui hic producit aliquod album, producat relationem similitudinis existentem in albo, quod est apud Indos; imò in omnibus albis, quæ sunt in toto mûdo). Neque etiam esse potest causa agens, quod produxit album præexistens, in quo est relatio similitudinis, quia cõtingere potest, quòd quãdo resultat prædicta similitudo, prædictum agens iam non sit in mundo. Sed præter dicta agentia non apparet quid aliud esse possit causa prædictæ similitudinis: ergo nulla datur causa realis.

6. Quarto; positis duobus albis in rerum natura, etiam si per potentiam Dei, vel per nostrum intellectum secludamus quòdcumque aliud reale, illa duo alba denominabuntur similia, cum habeant vnus rationis qualitates: ergo relatio non est aliquid reale distinctum ab ipsis fundamentis absolutis præter denominationem extrinsecam desumptam à coexistentia prædictorum absolutorum.

7. Quintò; quia, si relatio esset ens reale, sequeretur, in quacumque re esse penè infinitas perfectiones; siquidem in quacumque re sunt penè infinitæ relationes diversitatis, vel similitudinis, vel alterius similis rationis.

8. Secundus modus philosophandi

di fuit aliorum, qui, etiam si concederent relationes reales, illas tamen, affirmant, non constituere peculiare predicamentum, sed esse quid transcendens divagans per omnia predicamenta. Modus hic philosophandi tribuitur Zenoni, & antiquioribus Philosophis ante Platonem. Quorum fundamentum esse potuit, quia plures respectus, & habitudines unius extremi ad aliud, sunt de essentia rerum diversorum predicamentorum, ut videri est in sex ultimis predicamentis, quæ omnia (ut suo loco dicemus) essentialiter includunt relationem: & idem plures affirmant de relatione a proutinalis in hæreticæ respectu accidentis absoluti, & de relatione, quam dicit creatura ad creatorem respectu entis creati: esset autem impossibile, quod relationes essent de essentia rerum diversorum predicamentorum, si relationes peculiare constituerent predicamentum, & non essent quid transcendente.

9. Jam verò recepta sententia est, & quasi Philosophorum axiomata, dari in rebus creatis relationes reales propriam, ac speciale predicamentum constituentes, si adsint in relationibus conditiones necessariæ ad constituendum speciale predicamentum, quas in questione sequenti assignabimus. Hæc fuit sententia Platonis, quem secutus est Arist. & hunc omnes eius interpretes, tam Græci, quam Latini, quos postea imitati sunt Theo-

logi; Scotus in 1. d. 31. q. unica, & in 2. d. 1. q. 5. D. Tho. 1. p. q. 13. & omnes alij præter illos Nominales, quos pro opposita sententia adduximus. Sed quamvis hæc sententia ita recepta, & approbata sit ab omnibus, forsan non ita efficacibus rationibus, ac par erat, comprobatur: est enim difficile, rationes efficaces invenire: adducam tamen efficaciores, quæ communiter adducuntur.

10. Prima desumitur à simili Theologico sic. In divinis personis fides admittit veras relationes reales, & non ex alio capite, quam ex hoc, quod una persona originatur ex alio. Sed etiam in creatis datur vera, & realis processio unius personæ ex alia: ergo eadem ratione debent in creatis admitti relationes reales inter personam producentem, & eam, à qua procedit, cum hoc tantum discrimine, quod relationes divinæ propter divinam perfectionem sint substantiæ, creatæ verò accidentiæ peculiare predicamentum constituentia. Quod si semel relationes reales creatas admitramus inter causam, & effectum, non est, cur alias relationes similitudinis, æqualitatis, &c. denegemus.

11. Secunda desumitur ex aliquibus inconvenientibus, quæ sequerentur ex opposita sententia. Primum (& cuius meminit Scotus loco citato) est, quod per oppositam sententiam destruitur unitas

vniversi, quia, cum ex Aristot. 12. Metaph. vnitas vniversi consistat in ordine partium inter se, & ad primam ens, scilicet Deum, sicut vnitas exercitus in ordine partiũ exercitus inter se, & ad ducem; & prædictus ordo relatio sit, manifestè sequitur, quòd, qui tollunt relationes reales, tollant cõsequenter, & destruant vnitatẽ vniversi, quæ in relatione consistit.

12 Secundum inconueniens (& cuius etiam meminit Scotus) est, quòd ex opposita sententia sequeretur, nullam causam creatam posse causare sine operatione nostri intellectus: patet sequela; quia causatio dependet ex approximatione agentis ad passum. Sed approximatio est relatio: ergo causatio dependet ex relatione, saltem tanquam ex conditione sine qua non. Modò sic. Relatio ex opposita sententia non est ens reale, sed rationis factum per operationem intellectus: ergo de primo ad vltimum causatio penderet, & fieri non potest sine operatione intellectus.

13 Tertium inconueniẽs, quòd sequeretur, est, Arithmeticam, & Geometriã non esse scientias reales. Patet sequela; nam Arithmetica considerat proportionem numerorum; & Geometria proportionẽ figurarum; quæ proportionẽs sunt relationes, & secundum oppositam sententiam relationes non sunt entia realia.

14 Tertia ratio de sumitur ex

pluribus denominationibus, quæ in rebus ipsis ante omnem fictionem intellectus reperiuntur, vt esse patrem, esse simile, esse æquale, &c. Ex his enim denominationibus non leue colligitur argumentum ad probandum dari relationes reales, à quibus tanquam à formis sumuntur prædictæ denominationes. Nam in primis cū prædictæ denominationes consistant in habitudine ad aliud, non possunt provenire à forma absoluta, sed forma, à qua sumuntur, debet esse aliqua relatio. Rursum, cum ante omnem operationem intellectus, qui habet filium, sit pater, & duo parietes albi sint similes, fieri non potest, quin relatio, quæ est forma, à qua sumuntur, sit entitas realis.

15 Neque valet id, quòd respondent Nominales, scilicet prædictas denominationes esse relativas, & reales; non tamen inde sequi, dari relationem realem; quia sunt denominationes extrinsecæ, sicut parietem esse visum; & denominationes extrinsecæ nil reale ponunt in re denominata, etiam si ipsæ denominationes sint reales. Hoc, inquam, nil valet. Tùm, quia falsò affirmant, has denominationes esse extrinsecas, sicut parietem esse visum; nam pater non dicitur talis à paternitate existente in alio subiecto, sicut paries dicitur visus à visione existente in oculo, sed à paternitate existente in ipso; ac per consequens intrinsecè deno-

denominabitur talis, & nō extrinsecē. Tūm etiam, quia dato, quōd essent denominationes extrinsecæ, non rectē inferūt, relationem, quæ est forma, à qua sumuntur, non esse ens reale; nam denominationes extrinsecæ, etiam si nil reale ponant in subiecto denominato, supponunt tamen aliquid reale in aliquo extrinsecō, à quo, tanquam à forma, proveniant; & sic semper forma, à qua ipsæ sumuntur, quando sunt reales, forma realis esse debet.

16 Ad fundamentum primæ sententiæ negamus antecedens. Et ad primam probationem dicimus, falsa esse illa duo, quæ in ipsa assumuntur, scilicet *esse ad* propriè competere relationibus rationis, & similiter *præseindere ab esse in*, siue à ratione accidentis; nam relationes rationis propriè non dicuntur esse ad aliud, sed cōcipi, ac si essent ad aliud, vel ad instar illorum, quæ sunt ad aliud. Et similiter *esse ad* comparatur ad *esse in*, siue ad rationem accidentis in communi, sicut modi intrinseci entis, comparantur ad ipsum ens. Vnde, sicut supra dictum est, ens includi in suis modis intrinsecis essentialiter, licet non ens *quid*, & contrahibile, saltem ens *quale*, & contrahens, ita consequenter dicendum est, *esse in*, seu accidentis includi essentialiter in *esse ad*, licet non accidentis *quid* contrahibile, & potentiale,

sed accidens *quale* contrahens, & actuans. nud, imp, que di 30339

17 Ad secundam probationem negamus minorem. Et ad probationem desumptam ex Aristotele respondetur, Philosophum non negasse absolutè, ad relationem esse motum, aut subiectum per relationem mutari; sed cum addito *per se*. Vnde non est contra nos, qui etiam si concedamus ad relationem huius tertij prædicamenti, & intrinsecus advenientem dari motum, & subiectum per ipsam de novo advenientem mutari; non tamen concedimus motum per se, sed per accidens: motus enim per se tendit ad aliquid absolutum; & ex cuius positione, & coexistentia cum alio absoluto, quasi per accidens, & præter intentionem agentis sequitur relatio realis in absoluto, & similiter mutatio illius.

18 Ad tertiam respondetur, quōd, sicut ad relationem intrinsecus advenientem non datur per se motus, sed per accidens, ita neque dabitur causa per se, sed per accidens. Causa autem per accidens est producens relationis extrema, subiectum scilicet, & terminum. Vnde ad hoc, ut resultet relatio non erit necessaria approxinatio, aut existentia horum agentium: quia istæ conditiones solum sunt requisitæ in agentibus per se, & quæ per suam actionem immediatè attingunt esse actum; non verò in causis, vel agentibus per

accidens. Et, quòd hoc, sit verum, patet in auo, qui, cum sit causa per accidens nepotis, non requiritur, neque eius existentia, neque eius approximatìo ad productiõnem nepotis.

19 Ad quartam respondetur, quòd, si positis duobus albis, per intellectum, aut per potentiam Dei secluderetur relatio similitudinis, illa alba, etiam si essent eiusdem intensiõnis, non denominarentur similia formaliter, sed solum fundamentaliter. Vnde, vt denominentur similia formaliter, requiritur relatio.

20 Ad quintam negamus sequelam. Cuius ratio est, quia cum relatio formaliter, & vt relatio est considerata (qua ratione est quid commune univocum indifferens ad creatam, & increatam) non sit ens quantum, & consequenter, neque perfectiõnem, aut imperfectiõnem quantitativam includens, aliàs relationes divinx essent formaliter, & vt relationes sunt considerata entia quanta, & independantia perfectiõnem quantitativam; cuius oppositum docuit Subtilis Doctor in 1. d. 8. q. 4. lit. I. & in 3. d. 1. q. 1. & 4. & quolib. 1. in principio, & quol. 5. ar. 1. & 2. Hinc est, quòd perfectiõ quantitativa, quam relationes, tam divinx, quam create habent, illis non conveniat ex ratione sua formalis relationis, sed divinis, ratione essentix, cum qua identificantur; & create, ratione fundamen-

ti, ex quo resultant.

21 Vnde non bene inferitur in creatis ex multiplicatiõne penè infinita relationum realiũ in aliquo fundamento multiplicatiõ penè infinita perfectiõnum in ipso, cum in omnibus illis non sit alia perfectiõ, quam illa, quæ est in fundamento, sicuti neque ex multiplicatiõne relationum increatarum in divina essentia non sequitur multiplicatiõ perfectiõnum in ipsa, eò quòd in omnibus illis non est alia perfectiõ, quàm essentia.

22 Nec refert, quòd aliqui in cõtrarium obijciunt, scilicet ens, quòd dividitur in prædicamenta, esse ens quantum: (nam est ens finitum, & limitatum, vt ex dictis cap. de Divis. in complex. disp. unica, q. 2. n. 8. constat, & docuit Scotus quolib. 5. citato) ergo etiam debent esse entia quanta ipsa prædicamenta, in quæ dividitur, & cõsequenter relatio, quæ est vnum ex eis. Respondetur enim, nos non negare, relationes, quæ ponuntur in hoc prædicamento, esse entia quanta, & finita: sed quòd negamus, est, id competere eis formaliter, & vt relationes sunt, sed in quantum sunt relationes resultantes ex quanto, & finito fundamento. Neque argumentum oppositum convincit; nam relatio, quæ est vnum ex membris dividendis ens quantum, & finitum, non est relatio, vt sic; aliàs comprehenderet sub se divinas, sed sunt relatio-

nes,

nes, quæ resultant ex fundamento quanto, & finito. Et sic sufficit, quod relationes, quæ continentur in hoc prædicamento, habeant esse quantæ, & finitæ ratione fundamenti, ex quo resultant.

23. Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur, nullum ex respectibus, qui collocantur in isto prædicamento, esse de essentia, & quidditate rei alterius prædicamenti. Et ad instantiam de sex ultimis prædicamentis fateamur, sex ultima prædicamenta formaliter consistere in relationibus, sed non in relationibus intrinsecus advenientibus, quæ sunt, quæ in hoc prædicamento ponuntur, sed in relationibus extrinsecus advenientibus, quæ ad sex ultima prædicamenta redicuntur.

24. Ad instantiam de relatione inhaerentiæ aptitudinalis (præterquam, quod est relatio transcendentalis, & consequenter non spectans ad hoc prædicamentum, sed reducitur ad prædicamentum sui fundamenti) constat ex dictis cap. de Accidenti, quæ est ultima, non esse de essentia entitatis absolutæ, quæ denominatur accidens. Et idem dico de relatione dependentiæ, quam dicit omnis creatura ad suum creatorem, scilicet, neque esse ad rem, cum non prædicamentalis, sed transcendentalis sit, & insuper supponere falsum, ut ex dictis in annotationibus

numero 8. con-

stat.

QVÆSTIO II.

Quæ relationes pertineant ad hoc prædicamentum?

1. **V**T iudicemus, quæ relationes ponantur, quæve excludantur ab hoc prædicamento, necessarium erit cognoscere, quæ conditiones requirantur ad hoc, ut in hoc tertio prædicamento collocentur. Prima conditio est, ut ratione sui fundamenti (quod est à quo habent relationes esse quantæ quantitate virtutis) sint finitæ, & limitatæ: nam si ratione sui fundamenti habent esse simpliciter infinitæ, non poterunt in isto prædicamento collocari ob rationem, qua cap. de Divis. incomplexorū disp. vnica q. 2. n. 8. generaliter ab omni prædicamento exclusiuis entia simpliciter infinita.

2. Secundâ conditio est, ut sint relationes reales; nam (ut loco citato n. 3. dixi) ens, quod Aristot. in hæc prædicamenta divisit, nõ fuit ens, ut cumque, sed ens reale; & sic necessarium est, illa, ex quibus ista prædicamenta componuntur, esse entia realia. Tria autem requiruntur ab Scoto in 1. dist. 3. quæ sunt vnica ad hoc, ut relationes reales sint. Primum, quod fundamentum sit reale, & terminus etiã sit realis. Secundum, quod extrema, quæ referuntur, sint realiter distincta. Tertium, quod ex natura extremorum, scilicet fundamenti, & termini, sequatur ipsa relatio absque

absque operatione alicuius potentia comparantis vnum extremum ad aliud.

3 Thomistæ addunt quartum solum ad relationes mutuas primi generis requisitum, scilicet, quod fundamentum proximum sit distinctum in utroque extremo. Vnde, quia essentia divina, quæ est fundamentum relationum identitatis, similitudinis, & æqualitatis, quæ sunt inter divinas personas, est eadem numero in omnibus divinis personis, consequenter negant huiusmodi relationes esse reales.

4 Sed Scotus hoc quartum non requirit; & merito; nam, si non est requisitum in relationibus mutuis secundi generis, cur requiretur in relationibus mutuis primi præsertim cum istæ fundentur in aliquo, quatenus vnum est, & illæ non. Vnde consequenter defendit in 1. d. 31. q. 1. & quod. 6. prædictas relationes identitatis similitudinis, & æqualitatis inter divinas personas esse reales.

5 Tertia conditio est, ut non possint in alio prædicamento, quam in isto, adhuc reductivè, collocari. Quod enim reductivè in vno prædicamento collocatur, ad nullum aliud prædicamentum spectare potest per se; aliàs idem secundum eandem rationem esset in duobus prædicamentis: quod est impossibile.

6 Et demum quarta conditio est, quod sint relationes intrinse-

cus advenientes, hoc est, quod possint extremis, quæ immediatè referuntur, necessariò confurgat relatio secluso quocumque alio extrinseco. Hanc conditionem sæpè expostulat Scotus. Legatur in 4. d. 12. lit. M. & d. 23. q. 1. lit. C. & in quolib. 11. litera K. Et colligitur ex Arist. 5. Physic. tex. 12. ubi ait, ad relationes huius prædicamenti non dari per se motum; daretur tamè, si positis extremis, quæ immediatè referuntur, quæ communiter appellantur fundamentum, & terminus, necessariò non resultaret, sed esset adhuc requisitum aliud extrinsecum; nam hoc extrinsecum nil aliud esse posset, quam motus, à quo per se, & immediatè produceretur.

7 His suppositis haud difficile erit indicare, quæ relationes ab hoc prædicamento relegentur; & quæ in ipso ponantur. Respondetur enim, ex defectu prioris conditionis relegari ab hoc prædicamento relationes divinas: ex defectu secundæ omnes rationis; & defectu tertiæ omnes transcendentes: & defectu quartæ omnes extrinsecus advenientes: & consequenter in hoc collocari omnes, & solas relationes, in quibus hæc quatuor conditiones simul reperiuntur, scilicet quod sint creatæ, reales, prædicamentales, & intrinsecus advenientes.

8 Sed objicies Arist. qui 5. Metaph. cap. 15. enumerans tria genera relationum, quæ ponuntur in hoc

hoc prædicamento, inter relationes secundi generis (quæ sunt illæ, quæ fundantur in actione) enumeravit relationes facturi ad faciendum; & similiter inter relationes tertij generis; quæ sunt illæ, quæ fundantur in mensura, & mensurabili, enumerat relationem imaginis ad imaginatum. Sed iste non sunt reales, cum actualiter non existant, sicuti neque actualiter existunt eius extrema: (loquor de relatione imaginis ad imaginatum, quod iam præcessit, ut est imago Cæsaris, Aristotelis, &c.) ergo relegare ab hoc prædicamento relationes rationis est contra Arist.

9 Respondetur; Arist. relationes facturi ad faciendum, & imaginis ad imaginatum, etiam iam præteritum, inter reales, quæ ponuntur in hoc prædicamento, numerasse, quia re vera reales sunt, cum habeant fundamentum, & terminum non solum realia, sed realiter distincta, & insuper resultant ex natura extremorum absq; operatione alicuius potentia comparantis vnum extremum ad aliud: quæ sunt conditiones ad relationes reales ex mente Scoti numerate. Ex hoc autem, quod extrema, aut aliquod ipsorum actualiter non existant, sed solum sint obiectivè in intellectu, quod infertur, non est, istas relationes non esse reales, sed non esse actualiter existentes, solumque habere esse obiectivè in intellectu, non secus,

ac ipsarum extrema. Quod nil refert ad hoc; ut prædictæ relationes in isto prædicamento collocentur; nam in his prædicamentis, etsi solum entia realia collocentur, sed non, ut existentia sunt à parte rei, sed ut habent esse obiectivè in intellectu. Sunt enim prædicamenta (ut sæpè dictum est) prædicatorum essentialium secundum rationem superioris, & inferioris coordinatio; quod solum naturis realibus, ut habent esse obiectivè in intellectu competit.

QVÆSTIO III.

Vtrum tantum sit vnicum genus supremum in hoc prædicamento?

PRO parte negativa ratio dubitandi est; quia, sicut de ratione huius relativi in speciali est, esse ad aliud correlativum in speciali, ita de ratione relativi in communi, & supremi erit, esse ad aliud correlativum sibi proportionatum. Modò sic hæc duo correlativa non possunt coordinari, ita ut vnum sit superius ad aliud; ergo erunt æqualia, ac per consequens non vnum, sed plura genera suprema in hoc prædicamento debent assignari. Probo antecedens dupliciter. Primò; quia non est maior ratio, cui vnum sit superius, & aliud inferius, quam è contra. Secundò; quia correlativa sunt simul natura; superius autem, & inferius.

ferius non sunt simul natura.

2. His non obstantibus dicendum est cum communi sententia, quam tenet Scotus quaest. 25. prædicamentali, in hoc prædicamento tantum esse unum genus supremum, scilicet rationem relationis in communi. Hoc docuit expressè Porphyrius cap. de Specie dicens, in unoquoque prædicamento tantum esse unicum genus supremum, sub quo omnia continentur. Et ratio est; quia, si in hoc prædicamento essent duo genera suprema, non unicum, sed duo essent prædicamenta relationum intrinsecus advenientium; ac per consequens non decem, sed undecim essent prædicamenta.

3. Ad rationem in contrarium responderetur non esse contra nos; quia, cum non ponamus in prædicamenti accidentia in concreto, sed in abstracto, non dicimus, supremum genus huius prædicamenti esse relativum in communi, sed relationem in communi. Imò adhuc in sententia eorum, qui collocant in prædicamenti accidentia in concreto, & consequenter dicunt, genus generalissimum huius prædicamenti esse relativum in communi, argumentum non vrget, si ex alia parte dicant, relativum terminari ad aliud, non ut relativum, sed ut absolutum; nam respondere poterunt, de ratione relativi suprema esse quidem esse ad aliud, non relativum, sed absolutum. Et sic non habent lo-

cum in argumento assumpta.

QVÆSTIO III.

Vtrum definitio relativorum tradita ab Arist. ex propria sententia sit exacta?

Definitio, qua ex propria sententia definit Arist. relativa, & de qua nunc inquirimus, an sit exacta? his verbis solet referri. *Relativa sunt, seu dicuntur, quorum totum suum esse est ad aliud se habere.* Sunt autem aliqua argumenta, quibus probari videtur, non esse exactam. Primum: Arist. hic solam definitiva *secundum esse*, quæ collocantur in hoc prædicamento. Sed hæc definitio competit pluribus alijs relativis: ergo non est exacta. Probo minorem; nam, cum totum esse generis sit habere ordinem prædicabilitatis ad species; & totum esse Patris æterni sit habere ordinem ad suum filium; & totum esse agentis sit habere ordinem ad passum, hæc definitio conveniret etiam relativis rationis, relativis divinis, & relativis extrinsecus advenientibus, quæ non collocantur in hoc prædicamento.

2. Secundum: ratio est accidentis reale; sed de intrinseca ratione accidentis realis est inheretia, seu habitudo ad subiectum: ergo falsò dicitur in hac definitione, quòd totum esse relativi consistit in habitudo ad aliud, scilicet ad terminum.

3 Ter.

3. Tertium: verba definitionis non dicunt a se, sed a prout dicitur; verba huius definitionis non possunt dicere a prout dicitur; ergo hæc definitio non est exacta. Probo minorem; nam relativitas essentialiter non consistit in posse referri ad aliud; (aliis omnibus absoluta essent essentialiter relativa, cum omnibus conveniat prædicta a prout dicitur.) sed potius consistit in actuali respectu.

4. His non obstantibus dicendum est cum communi sententia, quam tenet Scot. q. 25. & 26. prædicamentali definitionem relativorum traditam ab Arist. esse exactam. Quam sententiam ut probemus, annotandum est. Primum, per hanc definitionem non desinisse Arist. sola relativa, quæ in hoc prædicamento collocantur, sed omnia, & sola relativa secundum esse, quæ ponuntur in prædicamento, siue illa sine intrinsecus advenientia, ut sunt, quæ in hoc prædicamento ponuntur, siue extrinsecus advenientia, ut sunt agens, & passum; cæteraque sex ultima prædicamenta.

5. Secundò annotandum est, Arist. priusquam singula prædicamenta tradidisset, proposuisse universalem divisionem entis realis in decem prædicamenta; ac per consequens ex mente ipsius in definitione relativorum subintelligenda esse hæc duo verba; *accidentia realia*; ita ut sententia definitionis sit; *Relativa sunt accidentia realia, quorum natura*

suum esse est ad aliud se habere, seu referri.

6. His suppositis probatur hæc sententia. Illa est exacta definitio, quæ ita explicat naturam definiti, ut simul faciat illud differre à quocumque alio non tati. Sed hæc est huiusmodi; ergo est exacta. Probo minorem; nam per particulas *accidentia realia*, quæ sub intelligentiâ in hæc definitione, & ponuntur loci generis excluduntur à relativis secundum esse prædicamentalis (quæ sunt, quæ definiuntur hac definitione) relativa divina; transcendentia; & rationis; quia divina non sunt accidentia, sed substantia. Et idem potest contingere in transcendentibus; & relativa rationis, etiam si sint accidentia, non tamen sunt realia. Per reliquas particulas, quæ ponuntur loco differentie, scilicet *quorum totum suum esse est esse ad aliud, seu referri*, distinguuntur relativa, quæ hic definiuntur à relativis secundum dici, quorum esse non consistit in esse ad aliud, sed in aliquo absoluto, quod dicitur esse alterius.

7. Ad primum argumentum patet solutio ex dictis in probatione sententiæ communis. Ad secundum respondent aliqui, in relatione duo nos posse considerare, & *esse in*, & *esse ad*, id est, ratione in accidentis, quæ est quoddam prædicatum transcendentale, in quo cum omnibus alijs accidentibus convenit ratio; &

differentiam, seu modam intrinsecum, per quem ratio transcendentalis accidentis contrahitur ad esse relationis. Et ratione *esse* indicant, relationem respicere subiectum, sicut cetera accidentia; tamen ratione *esse ad* dicunt, relationem solum respicere terminum; ac per consequens totum esse relativi, vt relativum est, consistere in esse ad aliud.

8 Sed hæc solutio, & supponit falsum; & præterea nil valet. Supponit falsum; quia falsum est, conceptum *esse ad*, quem, tanquam modum intrinsecum, includit relatio, non respicere subiectum; siue (vt clarius loquar) non includere rationem accidentis essentialiter, & quid dicitur: licet enim modi intrinseci, per quos contrahitur accidens in communi ad novem genera, non includant essentialiter accidens *quid*, id est, potentiale, & contrahibile; includunt tamen essentialiter accidens *quale*, id est, contrahens, & modificans, non secus, ac de ente respectu suorum modorum intrinsecorum cap. 1. de Æquivocis, &c. disput. 2. quæst. 1. a num. 7. philosophati sumus.

9 Et modo specialiter de hoc modo intrinseci, per quem contrahitur conceptus transcendentalis accidentis ad esse relationis, probari potest; nam si iste modus intrinsecus, scilicet *esse ad* non includeret essentialiter accidens, saltem *quale*, sequeretur, hunc mo-

dum intrinsecum non esse ens reale; quod est absurdum. Sequela patet, nam omne ens reale essentialiter, vel est substantia, vel accidens. Sed hic modus intrinsecus essentialiter non est substantia; ergo, si etiam essentialiter non esset accidens, nullo modo erit ens reale.

10 Præterea prædictam solutionem nil valere patet; quia, cum de intrinseca ratione relationis non solum sit *esse ad*, sed etiam sit *esse in*, si ratione *esse in* respicit relatio subiectum, sequitur, totum esse relativi non esse, seu consistere in esse ad terminum, vt dicitur in definitione Arist. etiam si concederemus, quod Auctores isti intendunt, scilicet relationem secundum conceptum *esse ad* non respicere subiectum, neque includere vlllo modo rationem accidentis.

11 Aliter ergo respondendum est ad propositum argumentum; scilicet per illa verba *quorum totum suum esse est ad aliud, &c.* non excludi a relativis rationes transcendentes entis, & accidentis; ita vt sensus sit, relativum, neque esse accidens, neq; ens, sed totum suum esse consistere in mero respectu; quia manifestè in his verbis contineretur cōtradictio; sed excludi rationem accidentis absoluti; & indicari, esse accidentis relativi, vt sic, non consistere in absoluta subiecti affectione, sed illud afficere ordinando ad terminum; & in hoc positam esse totam rationem illius.

12 Ad vltimum argumentū respondetur, esse quædam accidētia, de quorum numero sunt relatio, actio, passio, & cætera vltima prædicamenta, quæ, etsi considerata antequam existant, (hoc est dum sunt in potentia obiectiva) concipi possint, vt potentia tribuere suum effectū formale, tamen nullo modo considerari possunt, vt actu exercere suum effectum formalem. Et de his accidētibus non est verum dicere, quòd verba in definitione non dicunt actum, sed aptitudinē.

QVÆSTIO V.

De proprietatibus relativorum.

1 **Q**uatuor sunt proprietates relativorum, quas ex sententia antiquorum, & ex definitione ab ipsis tradita de illis, enumeravit in litera Arist. scilicet *habere contrarium; suscipere magis, & minus*: (quæ intelligendæ sunt de contrarietate propriè sumpta, & de magis, & minus secundum intentionē) *ad convertentiam; & esse simul natura*. Quæ in hac quæstione examinandæ, & declarandæ sunt.

2 Circa primam proprietatem dubitant Authores, quo pacto sit verū, esse proprietatē relativorū habere contrariū, supposito, quòd idem Arist. qui hoc docet in hoc cap. docuerit expressè c. de Quantitate, relativa non habere contrariū? respondetur Philosophū cap. de Quantit. locutū fuisse tantum de

relativis *secundum esse*, quibus nil est contrariū ratione sui, sed solum ratione sui fundamenti, quādo tale fundamentum est qualitas, vt docuit Scot. in fine q. 26. prædicamentali. At in presenti, cum enumeret proprietates, quæ secuntur ex definitione antiquorū, loquitur de relativis in communi, & propt̄ sub se comprehendunt etiā relativa *secundum dici*; quorū plura, cū qualitates sint, (vt ex dictis in annotationibus à n. 3. pater) propriū ipsum erit habere contrariū, non secus, ac qualitatis; proprium, inquam, primo modo, cum solis relativis hæc proprietas conveniat, sed non omnibus.

3 De secunda proprietate (quæ est *suscipere magis, & minus secundum intensiōē*) eodē modo dicendum est, ac de prima, scilicet per se solum cōpetere relativis *secundum dici*, (quæ sunt qualitates) relativis verò *secundum esse* cōpetere per accidens, scilicet ratione fundamenti. Quod expressè docuit Scot. loco cit. Et ratio ipsius est, quia, si relativis *secundum esse* per se, & ratione relationis cōpeteret suscipere magis, & minus, ad relationē daretur per se motus; quod est contra Arist. 5. Phys. Sequela pater; quia, si relatio susciperet magis, & minus, in relatione possemus assignare partes, & consequenter actionem, per quam vna pars post aliam acquireretur: quæ actio motus est secundum Commentatorem super 3. Phys.

4 Sed contra obijciens: potest contingere, vt relatio intendatur, quando remittitur fundamentum; vel è contra, quòd relatio remittatur, quando fundamentum intenditur; vt videri est in relatione similitudinis inter album, vt quatuor, & album, vt sex, quæ tantò magis intenditur, quantò magis remittitur album, vt sex, & tantò magis remittitur, quantò magis intenditur album, vt sex: ergo falsò dicimus, ex Scoto, relatiuum secundùm esse suscipere magis, & minùs non ratione sui, sed ratione fundamenti.

5 Respondetur, quòd, quando dicimus, relatiua secundùm esse suscipere magis, & minùs secundùm intensionem, non ratione sui, sed ratione fundamenti, sermo est de fundamento proximo, siue de ratione fundadi; qualis est in relatione similitudinis duorum alborum vnitas in qualitate: de hac enim semper est verum dicere, quòd, quantò ipsa fuerit maior inter duo alba, tantò maior erit similitudo ipsorum, & quantò minor, tantò etià minor, siac hoc proveniat ex intensione, siue ex remissione qualitatis; quæ est fundamentum remotum relationis, vt est albedo in prædicta relatione similitudinis.

6 Et per hoc etiam patet solutio ad aliud simile argumentum, quod formari solet hoc pacto. Æquale, & inæquale suscipiunt magis, & minùs secundùm intensionem: sed hoc nõ potest eis prove-

nire ratione fundamenti; quia hoc est quantitas, quæ secundùm intensionem nõ suscipit magis, & minùs: ergo cõvenit eis per se, & ratione relationis, quã dicunt pro formali. Respondetur enim, quòd etiam si quantitas, quæ est fundamentum remotum in his relationibus, nõ suscipiat magis, aut minùs secundùm intensionem; recipit tamen magis, & minùs secundùm intensionem vnitas in quantitate, quæ est fundamentum proximum, seu ratio fundandi harum relationum; ac per consequens ratione illius possunt æquale, vel inæquale magis, & minùs secundùm intensionem recipere.

7 Circa tertiam proprietatem annotandum est, dici ad convertentiam nõ esse idem, ac mutuo referri alias hæc proprietates solùm possent cõpetere relativis mutuis; quia hæc solùm sunt, quæ mutuo referuntur. Neq; etiã esse idem, ac quòd vnũ relativum inferat aliud in bona cõsequentia; & è contra. Qua ratione homo, & susceptivum discipline dicuntur dici ad convertentiam. Sed esse idem, ac vnũ relativum explicari per ordinem ad aliud in obliquo positum, & è converso; vt cù dicimus; pater est alicuius filij pater, filius est alicuius patris filius.

8 Solùm sunt advertenda duo, quæ notavit Arist. Primũ est, hanc convertentiam non semper fieri in eodem casu; nam scientia dicitur scibilis scientia, & scibile non dicitur scientia; sed scientia scibile. Et hoc dicunt plures significari

ver-

verbis illis positus in definitione relativorum, quam ex mente aliorum tradidit Arist. *vel quomodo libet alter ad aliud.*

9. Secundum est, aliquando non fieri hanc convertentiam in relativis, seu inter relativa, ex eo, quod non assignatur proprium correlativum prioris, ut si quis dicat, correlativum alicui esse aem, non fiet mutua convertentia; quia, etiam si omnis avis habeat alas, non tamen omnis ala est alicuius avis ala; nam musca, & apes ex Arist. 6. de Historia animalium habent alas, & non sunt aves. Ut ergo fiat conversio docet Arist. querendum semper esse id, ad quod primo aliquid refertur, & illud ponendum esse pro correlativo in convertentia. Quod si non fuerit nomen impositum ad illud significandum, fingendum esse, docet Arist. quod facile fiet, si ex altero relativo nominato formetur nomen correlativi, ut ex ala alatum, ex clavo clavatum, ex capite capitatum, &c. Tunc enim recte fiet conversio; nam sicut omnis ala est alati ala, ita omne alatum est ala alatum.

10. Quod si inquiras, qualiter sit hoc proprium respectu relativorum? Respondetur respectu relativorum, *tamen secundum dici*, quam *secundum esse*; quae sunt quorum proprietates hae ex definitione antiquorum colligit Arist. esse proprium quarto modo, cum conveniat omnibus, solis, & semper. Esse vero proprietatem secundo modo, si sermo sit de relativis *secundum esse*; quia

convenit omnibus, sed non solis.

11. Circa quartam proprietatem (quae est, quod relativa sint simul natura) annotandum est, duas esse condiciones necessarias ad hoc, ut aliqua sint simul natura, ut patet ex Aristot. in postpraedicamentis cap. 13. Prima est, ut mutuo se inferant. Secunda, ut neutrum sit causa alterius. Ex defectu primae conditionis homo, & animal (& idem est iudicium de omni inferiori, & superiori) non sunt simul natura; nam licet valeat, est homo; ergo est animal; non tamen e contra, est animal; ergo est homo. Ex defectu vero secundae conditionis essentia, & passio non sunt simul natura; nam essentia est causa passionis.

12. Sed dices; duae passiones, scilicet resibile, & flebile non sunt simul natura, (alias haec non esset proprietas relativorum) & tamen mutuo se inferunt, & una non est causa alterius; ergo ad similitudinem naturae haec duae condiciones non sufficiunt. Respondetur, quod, etiam si duae passiones mutuo se inferant, & una non sit causa alterius, tamen non sunt simul natura; quia, quod mutuo se inferant, non convenit illis ratione sui, sed ratione tertij, scilicet ratione speciei, a qua profluunt; ad similitudinem autem naturae requiritur, quod aliqua se mutuo inferant ratione sui; & non sufficit, quod hoc habeant ratione tertij.

13 His suppositis, circa hanc proprietatem dubitant Authores; an sit proprietas conveniens quarto modo relativis? Aliqui respondent negativè; quorum fundamentum est, quia (vt docet Arist. in hoc cap.) hæc proprietas nõ convenit omnibus relativis; nam scientia, & scibile relativa sunt, & tamen non sunt simul natura; cum scibile possit esse sine scientia; & similiter scibile est causa scientiæ; & idem poterat exemplificari in quibuscũq; alijs relativis *secundũ dici*, vt sunt sessio, & sedens; albedo, & album, &c. sunt enim hæc omnia causæ ad invicem sui ipsorum, vel in genere causæ formalis, vel in genere causæ materialis.

14 Sed existimo, in hac re opus esse distinctionis; nam, cum inquirimus, an esse simul natura sit proprietas in quarto modo relativorum? aut sermo est de relativis in cõmuni, & provt abstrahunt à relativis *secundũ dici*, & *secundũ esse*; aut sermo est solum de relativis *secundũ esse*? Si sermo sit de relativis primo modo sumptis, verũ dicunt hi Authores, quia, cũ hæc proprietas nõ cõveniat relativis *secundũ dici* (vt probatũ est ex Arist. & per rationẽ) nõ erit conveniẽs in quarto modo hæc proprietas relativis in cõmuni, sed solum in primo modo. Si verò sermo sit de relativis secundo modo, id est, de relativis *secundũ esse*, dicimus, esse proprietatem relativorũ quarto modo; cum omnibus illis, solis, & sem

per conveniat. Ita Scotus quaestione 27. prædicamentali.

15 Sed dices primò; relativa rationis sunt simul natura: ergo hæc proprietas nõ convenit quarto modo relativis realibus *secundũ esse*. Respondetur, relativa rationis non esse simul natura, sed concipi à nobis ad modum eorũ, quæ sunt simul natura.

16 Dices secundò; pater, & filius sunt relativa *secundũ esse*, & tamen non sunt simul natura, cum pater sit causa filij: ergo falso dicimus, hanc proprietatem competere omnibus relativis *secundũ esse*. Respondetur, patrem non esse causam filij formaliter sumptum, & vt relativum est, sed materialiter, & vt quidam homo est; qua ratione nullum est inconveniens, quòd sit causa filij, & cõsequenter non simul natura cum illo; quia, vt sic, non est relativum.

17 Præter has quatuor proprietates aliam enumerat Arist. in fine capituli ex propria sententia, scilicet quòd relativa, sint simul cognitione, siue (vt ipse loquitur) quòd, qui definit, & certò scit vnum, necessariò definit, & certè sciat aliud. Quæ proprietas solum competit relativis *secundũ esse*; (vt ipse demonstrat in littera) ac per consequens erit proprietas conveniens relativis eodem pacto, ac dictum est de quarta proprietate.

DISPUTATIO II.

De relatione respectu sui fundamenti.

DE relatione respectu sui fundamenti tria explicanda sunt, quæ non parum habent difficultatis. Primum, *Quæ & quot sint fundamenta relationum huius predicamenti?* Secundum, *Vtrum relatio fundari possit in alia relatione?* Tertium, *Quo pacto relatio distinguatur à suo fundamento?*

QVAESTIO PRIMA.

Quæ, & quot sint fundamenta relationum huius predicamenti?

IN hac questione examinanda est doctrina Aristot. quam de relationibus tradidit 5. Metaph. cap. 15. ubi ex triplici fundamento relationum, tria colligit, esse genera relationum. Primum earum, quæ fundantur in unitate, & numero. Secundum earum, quæ fundantur in actione, & passione. Tertium earum, quæ fundantur in mensura, & mensurabili. Quæ doctrina, & si vera, & receptissima sit, patitur aliquas difficultates; quas nos examinabimus per singula genera discurrendo.

SECTIO PRIMA.

Explicantur relationes primi generis.

2 CIRCA istas relationes annotandum est, Arist. per unitatem, & numerum (cum dicit, has relationes fundari in unitate, & numero) nõ intelligere unitatem quantitativam, & multitudinem illi oppositam, sed quamcumque convenientiam duarum rerum, & disconvenientiam illi oppositam.

3 Secundò annorandum est, hoc genus relationis subdivisse Arist. in varias species secundum diversitatem rerum, in quibus po-

test esse unitas, & multiplicitas; nam si unitas, & multiplicitas rerum diversarum, sit in substantia, resultabunt inter illas (ait Arist.) relationes identitatis, & diversitatis. Si verò unitas, vel multiplicitas sit in qualitate, resultabunt relationes similitudinis, & dissimilitudinis. Si demum unitas, vel multiplicitas sit in quantitate, resultabunt relationes æqualitatis, & inæqualitatis.

4 Tertio annotandum est, quòd, cum dicit Arist. relationes identitatis, & diversitatis fundari in unitate, & multitudine substantiæ, ibi substantia sumitur pro essentia: quæ ratione etiam sumptum fuit nomen substantia in definitionibus univocorum, & equivocorù. Unde secundum hoc illa dicuntur referri relatione identitatis, quæ in aliquo prædicato essentiali conveniunt; & illa dicuntur referri relatione diversitatis, quæ in aliquo prædicato essentiali non conveniunt; modò sint ea, quæ referuntur de prædicamento substantiæ, modò sint de prædicamento quantitatis, modò de prædicamento qualitatis, vel cuiuscumq; alterius: v.g. Petrus, & Ioânes in natura specificæ dicuntur esse idem; quia in illa, tanquam in prædicato essentiali, & quidditativo, conveniunt; & idem est iudicium de hac, & illa albedine; de hac, & illa linea; de hac, & illa paternitate, &c. Erè contra homo, & equus in natura specificæ dicuntur esse diversi, quia in il-

la, tanquam in prædicato quidditativo, non conveniunt. Et idem est iudicium de albedine, & nigredine, de linea, & superficie, de paternitate, & filiatione.

5 Ex quibus sequitur, solùm duas quantitates, seu duas substantias affectas quantitate dici æquales, quæ in extensione quantitativa eiusdem speciei habent convenientiam. Et similiter duas qualitates, seu duas substantias affectas qualitate solùm dici similes, quæ in gradibus intensiõnis eiusdem specificæ qualitatis unitatem, & convenientiam habent; nam, si duæ quæritates eiusdem speciei, v.g. duæ lineæ in extensiõne partium non conveniant, nec habeant unitatẽ, eò, quòd vna sit longã, vt digitus; alia verò longã, vt palmus, revera dicuntur inæquales, quantumvis eiusdem sint speciei. Et similiter, si duæ qualitates eiusdem speciei, v.g. duæ albedines, in gradibus intensiõnis non conveniant, nec habeant unitatẽ, eò quòd vna sit intẽsa, vt duo; alia verò intẽsa, vt sex, re vera dicuntur dissimiles, quantumvis sint eiusdem speciei.

6 Unde cum Aristor. dicit, ex unitate duorum in qualitate resultare relationem similitudinis, & ex multiplicitate resultare relationem dissimilitudinis, non est intelligendus de unitate, & multiplicitate in prædicato quidditativo qualitatis; quia hæc (vt dictum est) potius est unitas, vel multiplicitas in substantia; sed est intelli-

gen.

gendus de vnitare, & multiplicitate in gradibus intensionis qualitatis. Et similiter, cū dicitur ex vnitare duorum in quantitate resaltare relationem æqualitatis; & ex multitudine, seu disconuenientia resaltare relationem inæqualitatis, intelligendus est de vnitare, & multitudine; non in prædicato quidditativo quantitatis; sed de vnitare, & multitudine in extensione partium.

7. Quartò, & vltimò annotandum est, quòd, cum dicimus, vnitatem, & multitudinem esse fundamentū harum relationum, non est sic intelligendum, quòd prædictæ relationes inhereant immediatè in vnitare, & multitudine; & mediatè in rebus, quæ referri dicuntur; sed ita quòd immediatè inhereant in rebus, quæ referri dicuntur, in quâ tum prædictam vnitatem, & multipliciter participant. Et hæc est ratio, ob quam vnitatis, & multiplicitas non tam fundamentum harum relationum, quam rationes fundandi has relationes communiter appellantur.

8. Sed est dubium, an relationes huius generis sint formæ reales intrinsecus inhaerentes rebus, quæ ab ipsis relata dicuntur? an solum denominationes extrinsecæ? Et dubium non procedit in sententia Nominalium, qui (vidimus quæst. 1. disput. præced. num. 1.) nullam relationem admittunt, quæ sit forma realis intrinsecus inhaerens rebus, quæ ab ipsis relata de-

nominantur; sed in sententia communi, quæ docet, dari relationes, quæ sint formæ intrinsecus inhaerentes rebus, quæ ab ipsis relata denominantur, saltem in aliquo ex his generibus.

9. Inter Auctores ergo, qui admittunt, dari relationes, quæ sint formæ reales intrinsecè inhaerentes rebus, quæ ab ipsis relata dicuntur, solus Caberius tra. 5. disp. 3. dub. 7. affirmat, omnes relationes huius generis non esse formas reales intrinsecè inhaerentes rebus, quæ ab ipsis relata denominantur, sed solum esse denominationes extrinsecas, & consequenter non esse in hoc prædicamento collocandas; in quo solum collocantur relationes reales, quæ sunt formæ reales intrinsecè inhaerentes.

10. Fundamenta istius Auctoris sunt. Primū, quia ex opposita sententia sequitur; sicut & maxima multitudo relationum, ita & maxima multitudo entitatum realium intrinsecè in rebus relatis inhaerentium. Secundū, quia in diuinis Patre, & Filius similes, & æquales verè, & realiter sunt absq; relatione reali; cur ergo idem non affirmabimus in creatis, scilicet duo alba esse similia; & duo quæra esse æqualia absque relationibus realibus. Tertium, quia denominationes coexistentis, & distantis sunt denominationes extrinsecæ, & non reales relationes; cur nõ ergo idè dicendū erit de denominationibus similis, & dissimilis? Antecedens

probat ex paritate dexteritatis; nam non apparet ratio, cur ista sit denominatio extrinseca, non verò denominationes coexistentiæ, & distantiæ.

11 Fonseca 4. Metaph. cap. 2. q. 2. sect. 8. & Mercatus hîc q. unica, & si fateantur, relationes huius generis, quæ fundantur in unitate qualitatis, & quantitatis, esse formas reales intrinsecè inhærentes in rebus, quæ denominantur similes, & æquales; & consequenter in hoc prædicamento collocari, tamen de relationibus huius generis, quæ fundantur in unitate, vel diversitate substantiæ, ut sunt identitatis, & diversitatis, negant, in hoc prædicamento collocari: differunt autem in reddenda ratione. Nam Fonseca idèo illas, ab hoc prædicamento excludit, quia existimat, non esse reales, sed rationis. Mercatus verò, quia, etiam si sint reales, dicit esse transcendentales.

12 Fundamētum Fōsecæ est, quia fundamētum relationū realium debet esse quid reale; fundamentum verò harum relationum reale esse non potest, cum sit unitas formalis, vel essentialis communis multis; & à parte rei non detur talis unitas. Fundamentum verò Mercati esse potest, quia unitas, & diversitas in substantia (sumpta substantia pro essentia, ut hîc sumitur) divagatur per omnia prædicamenta, ut num. 4. dicebamus: ergo & relationes identitatis, &

diversitatis etiam divagabuntur, & transcendent omnia prædicamenta.

13 Sed Authoribus istis, nec authoritas Nominalium suffragatur, qui nullam relationem, quæ sit forma realis intrinsecè inhærens admittere voluerunt; & levissimis fundamentis ab Aristotelica, Thomistica, & Scotistica sententia recesserunt. Dicendum igitur nobis est cum Aristot. 5. Metaph. c. 15. D. Tho. lect. 17. & Scot. qu. 12. super prædictum locum, & alibi sæpè, & communi omnium Peripateticorum sententia, relationes huius primi generis, tam, quæ fundantur in unitate, & numero qualitatis, & quantitatis, quam, quæ fundantur in unitate, & numero substantiæ, (si conditiones requisitæ in questione 2. disputationis præcedentis observentur) esse formas reales intrinsecè inhærentes rebus, quæ per ipsas referuntur, & consequenter in isto prædicamento collocari.

14 Et contra Caberum, & Fōsecam id demonstrant rationes, quas contra Nominales adduximus disp. præced. q. 1. Imò efficaciùs militat contra istos, cū admittant, dari aliquas relationes, quæ non in denominatione extrinseca, sed in forma reali intrinsecè inhærente in re, quæ per ipsam refertur, consistant. Vnde à simili vrgeri possunt; nam non potest assignari ratio, cur unæ relationes formæ reales sint; aliæ verò de nomi-

nomi-

nominationes extrinsecas.

15. Quod enim respondet Caberius loco citato dub. 8. scilicet relationes secūdi generis esse reales entitates, & non rationis, seu denominationes extrinsecas, quia in eis ratio fundandi à fundamento distinguitur; non verò in relationibus primi generis, frivolum est: nam quis unquam, quæso, ad relationem realem, distinctionem realem inter fundamentum, & rationem fundandi expectivit? Quod enim fundamentum proximum, seu ratio fundandi sit quid reale ad relationes reales omnes exposcunt: quòd sit distinctum realiter in utroque extremo, quod mutò refertur, in relationibus huius generis ad hoc, ut sint reales, expectivere Thomistæ; qui defectu huius distinctionis (ut q. 2. disputat. præced. n. 3. dicebamus) negant relationes similitudinis, identitatis, & æqualitatis inter divinas personas esse reales. Tamen, quòd fundamentum proximum, seu ratio fundandi sit distincta realiter à fundamento, solum expectit Caberius, non advertens, quòd in divinis ratio fundandi relationum originum non distinguitur realiter à fundamento, quod est essentia: & tamen nullus catholicè dicere audebit, relationes istas esse rationis, seu denominationes extrinsecas. Quod ex Caberius principio necessariò erat fatendum.

16. Contra Mercatum verò ponentis, relationes omnes fundatas

in veritate, & numero substantie (quales sunt identitatis, & diversitatis) esse transcendentales, militat, quòd relationes transcendentales sunt idem realiter cum suo fundamento. Sed relatio identitatis in ratione formali, & specifica, quam dicit Petrus ad Paulū, non est idem realiter cum Petro: (siquidem potest existere Petrus sine tali relatione, ut continget, si moriatur Paulus) ergo prædicta relatio, & ei similes nō erunt transcendentales.

17. Sed fundamentis Caberius, & aliorum occurramus. Ad primum Caberius respondetur, nullum esse inconveniens admittere in vnaquaque re tantam multitudinem entitatum realium intrinsicè inhzrentium, quantam relationum: nam ad illud, quòd videbatur sequi de multitudine quasi infinita perfectionum satisfacimus disputat. præced. quæst. 1. à num. 20.

18. Secundum verò (præterquam quòd in sententia Scoti assumit principium falsum, ut ex dictis disputat. citata qu. 2. num. 4. constat) frivolum est, nam, si D. Tho. & eius affectu negant, relationes similitudinis, & æqualitatis inter divinas personas esse reales, hoc est, quia fundamentum eorum, scilicet divina essentia, non est realiter distincta in utroque extremo: cuius oppositum cum contingat in relationibus similitudinis, & æqualitatis, quæ sunt in crea-

turis inter duo alba, & duo quanta (est enim albedo, quæ est fundamentum similitudinis, in vno albo distincta numero ab albedine, quæ est fundamentum mutæ similitudinis in alio albo: & idem contingit in quantitatibus, quæ sunt fundamenta relationû æqualitatis inter duo quanta) non est, cur idem affirmet (sicuti neque affirmant) de relationibus similitudinis, & æqualitatis creatis.

19 Ad tertium dicimus, denominationes coexistentis, & distantis non esse extrinsecas, sed relationes reales; priorè in unitate temporis, & posteriorè in diversitate loci fundatâ. Nec est eadem ratio de dexteritate; nam, si esse dextrum est denominatio extrinseca, hoc est, quia dexteritas, quæ est forma, à qua desumitur, non est in re, quæ extrinsecè denominatur dextera; sicuti est forma, à qua aliquid denominatur coexistens, vel distans.

20 Ad fundamentum Fonseca, concessa maiori, negamus minorem. Ad probationem dicimus, fundamentum relationum identitatis non esse unitatem formalem, seu essentialè communem multis positivè, sed communem multis negativè, quantum est ex se; constat enim ex dictis super 1. c. Porph. disp. 1. q. 3. sect. 2. dari à parte rei unitatem formalem, quantum est ex se; communem multis negativè.

21 Ad fundamentum Mercati

dicimus, ex eo, quòd unitas, vel diversitas in substantia (sumpta substantia pro essentia) divergetur per omnia prædicamenta, solum sequi, posse res omnium prædicamentorum easdem, vel diversas in essentia à relationibus identitatis, vel diversitatis denominari; non verò sequi, relationes identitatis, vel diversitatis in omnibus prædicamentis collocari; quòd erat ad transcendentiam prædictarum relationum requisitum.

SECTION II.

Explicantur relationes secundæ generis.

22 **R**elationes secundæ generis secundum Arist. sunt, quæ fundantur, vel in mera potentia agendi, vel patiendi, ut calefactivum, & calefactibile; vel in potentia agendi, vel patiendi, ut subsunt actioni, vel passioni, ut calefaciens, & calefacti. Et hæc secundam speciem subdividit secundum varias temporis differentias; nam alia, inquit, fundantur in actione, vel passione præterita, ut relationes patris, & filij. Alia in actione, vel passione præsentis, ut efficiens, & effectus. Alia demum in actione, vel passione futura, ut facturum, & faciendum. Quæ relationes etsi omnes non sint actualiter existentes, sed plures habeant esse obiectivè in intellectu: omnes tamen sunt reales; cum versentur inter

inter extrema realia, realiter distincta, & resultent ex natura extremorum, & non per operationem alicuius potentie comparantis unum extremum ad aliud. Quæ sunt conditiones ad relationem realem ab Scoto assignatæ disput. præced. q. 2. n. 2. Vnde omnes in hoc prædicamento collocantur; nam (vt ex dictis loco citato n. 9. constat) ad hoc, vt entia realia in hoc prædicamento collocentur, non est necessarium, quòd actualiter existant, sed sat est, quòd sint obiectivè in intellectu.

23 Sed dubitant Authores; quòdnam sit fundamentum relationum, quæ fundantur in potentia activa, & passiva, vt subsunt actioni, vel passioni; quales sunt paternitatis, filiationis, &c? An scilicet hoc fundamentum sit ipsa potentia activa, vel passiva? an verò actio, & passio? an potius substantia ipsa, quæ est principium radicale actionis, & passionis.

24 Et dico notanter, *relatum, quæ fundantur in potentia activa, & passiva, vt subsunt actioni, vel passioni;* nam de relationibus huius secundi generis, quæ fundantur in mera potentia agendi, vel patiendi, vt sunt calefactivum, & calefactibile, conveniunt omnes, fundamentum esse ipsis potentias agendi, vel patiendi, nec aliquo modo requiri actionem, vel passionem, vt fundamentum, aut vt rationem fundandi, vel vt conditionem,

25 Subtilis Doctor in quarto distinctione 6. quæst. 10. §. Sed *restant duo dubia,* & distinct. 13. quæst. 1. litera V. vbi seipsum citat in distinct. 17. expressè affirmat, fundamentum istarum relationum non esse actionem, vel passionem, sed potentiam activam, vel passivam; actionem verò, & passionem solùm esse conditiones, seu dispositiones prævias ad hoc, vt prædictæ potentie sint fundamentum harum relationum. Scotum sequuntur omnes discipuli; & ex alijs Didacus à Iesu disp. 14. q. 2. & Rubius q. 12.

26 Fundamentum Scoti est; quia fundamentum relationis tantum manere debet, quandiu manet relatio; nam, cum relatio pendeat à fundamento, deficiente fundamento, necessariò deficiet relatio. Sed non existente actione, aut passione manent relationes istæ in producente, & producto, vt patet in homine, qui genuit filiùm, in quo actu, & formaliter est relatio paternitatis, & in filio relatio filiationis; & tamen actio, & passio nõ manent, sed transactæ sunt; ergo nequeunt actio, & passio esse fundamentum istarum relationum, sed hoc conveniet potentie activæ, & passivæ.

27 Suarez disput. 27. sect. 12. Hurt. disput. 15. Metaph. sect. 10. subsect. 2. §. 104. & Caber. disp. 3. dub. 9. sustinent, fundamentum istarum relationum non solùm nõ esse actionem, vel passionem,

(vt

(vt probat argumentum factum pro sententia Scoti) sed neque ipsam potentiam actiuam, vel passiuam, sed ipsammet substantiam producentis, vel producti, quæ est radicale principium actionis, vel passionis. Fundamentum ipsorum est simile adducto pro sententia Scoti, scilicet non posse manere relationem sine fundamento; posse tamen esse relationes istas sine potentia actiua, vel passiuâ, vt patet in illo, à quo, postquam habuit filium, aufertur potentia generatiua; in quo nihilominus manet relatio paternitatis, sicut antea.

28 Sorus denique, tam hîc, quam 5. Phys. qu. 2. artic. 2. quem communiter alij Thomistæ secuntur, tenet, fundamentum harum relationum, neque esse substantiam producentis, vel producti, neque potèntiam actiuam, vel passiuam, sed esse actionem, vel passionem. Quæ videtur etiam esse sententia D. Thò. 1. p. q. 28. art. 4. & 4. contra gentes cap. 24. & de potentia quæst. 8. ar. 1. & opusc. 48. c. 4. Et totum fundamentum est auctoritas Arist. loco Metaphysicæ citato, vbi (vt dictum est) docet, huiusmodi relationes fundari in actione, & passione.

29 Pro decisione huius quæstionis advertendum est, quòd, etiã si fundamentum, & subiectum relationis aliquando sint idem realiter, vt contingit in relatione similitudinis, quæ versatur inter duas albedines; vbi eadem albe-

do, quæ est subiectum similitudinis, est etiam fundamentum; & idem potest exemplificari in relatione æqualitatis, quæ versatur inter duas quãtitates; tamen attendendo ad rationes formales fundamenti, & subiecti, longè diuersæ sunt. Nam ratio subiecti solùm consistit in sustentatione relationis, in quãtùm quoddam accidens est indigens subiecto, in quo inhereat. Ratio verò fundamenti consistit in hoc, quòd est, esse rationem, & causam, ob quam relatio resultat, & inhereat in isto subiecto potius, quàm in alio.

30 Secundò advertendum est, duplex fundamentum nos posse excogitare in resultantia, & inherentia cuiuscumque relationis huius predicamenti; scilicet fundamentum *quod*, & fundamentum *quo*. Fundamentum *quod* dicitur illud, quòd in actu exercito fundat, & est causa, quòd relatio resultet, & inhereat in subiecto. Tale est in relatione similitudinis, quæ versatur inter duo alba, albedo. Fundamentum verò *quo* est ratio formalis, à qua accipit fundamentum *quod* esse fundamentum, & causa, vt subiecto in sit, & resultet relatio. Tale est in relatione similitudinis assignata vnitas, seu convenientia duarum albedinum in gradibus intensiõis.

31 Tertio advertendum est, in fundamento relationis non esse idem rationem fundandi, & conditionem requisitam ad fundandum.

dum. Nam ratio fundandi idem est, ac fundamentū *quo*. (Est enim illa forma, à qua fundamentum *quod* in genere causæ formalis habet, quod sit aeternum, & formaliter fundamentum.) Condicio autem requisita ad fundandum non est fundamentum *quo*, nec forma, à qua fundamentum *quod* habet, quod sit aeternum, & formaliter fundamentum, sed est quasi quædam prævia dispositio ad hoc, ut fundamentum possit exercere suum officium.

32. Quarto advertendum est, conditiones requisitas ad aliquem effectum esse in duplici differentia; nam aliquæ sunt requisitæ per se; aliquæ verò per accidens. Conditiones per se dicuntur illæ, sine quibus implicat per locum intrinsecum, evenire eundem effectum in specie, qui eveniret cum illis. Unde ipsæ solùm sufficiunt ad diversificandum effectum in specie, nõ obstante, quod respectu illius nullam induant rationem causæ. Talis est in bono futuro, quod desideratur, conditio ardui, quæ etiam si respectu illius actus voluntatis non induat rationem causæ; (quia neque finalis, aut efficiens, ut de se patet, neque materialis, aut formalis, cum neque sit obiectum materiale, neque formale illius) sed merè conditionis obiectivæ: nihilominus ipsa existente talis actus desiderij est in specie spei; in qua implicat per locum intrinsecum, quod sit, si à prædicto

obiecto conditionem ardui secundam. Talis etiam est in obiecto supernaturalis charitatis conditio clarè visi; quæ etiam si nullum genus causalitatis exerceat circa actum charitatis, sed merè conditionis, diversificat tamen illum in specie ab eo, qui fieret ab eadem potentia, & habitu circa idem materiale, & formale obiectum sine tali conditione.

33. Condiciones verò requisitæ per accidens dicuntur illæ, quæ etiam si necessario requirantur ad effectum, sed non ita intrinsecè, ut implicet per locum intrinsecum sine illis eundem effectum in specie evenire, qui evenit cum illis. Unde ipsæ solæ non sufficiunt ad diversificandum effectum in specie. Talis est approximatio agentis ad passum; & (ut magis ad nostrum intentum accedamus) talis est ad resultantiam relationum primi generis productio extremorum: licet enim hæc productio necessaria sit; (si enim duo alba, v.g. non essent producta, in rerum natura non existerent, & consequenter, neque referri possent relatione similitudinis) tamen talis productio non est conditio petita ad resultantiam istarum relationum. Cuius signum est; quia, si per impossibile talia alba existerent in rerum natura sine tali productione, resultaret inter illa relatio similitudinis eiusdem rationis cum illa, quæ resultat modò.

34. His suppositis dico primò.

Funda-

Fundamētum istarum relationum non est nuda substantia producentis, & producti. Est contra Suar. & Hart. & in ea conveniunt Scotus, D. Tho. & ceteri allegati pro ipsorum sententijs. Et videtur expressa Aristot. qui loco citato fundamentum harum relationum appellat, nō ipsas substantias producentis, & producti, sed ipsas potentias formales, activam, (inquam) & passivam, vt subsunt actioni, & passioni.

35 Et ratio à priori est; quia (vt dictū est in primo notabili) illud dicitur fundamētū relationis, quod est ratio, seu causa, ob quam resultat, & inhaeret relatio. in isto subiecto potius, quā in alio. Sed substantiæ producentis, & producti, vt substantiæ sunt consideratæ, non sunt rationes, seu causæ, ob quas in ipsis resultent, & inhaereāt istæ relationes: ergo neq; etiā effe poterunt ipsarum fundamentum.

36 Dico secundò. Fundamētum quo, seu ratio formalis fundandi istas relationes nō est actio, & passio, sed hoc cōpetit potentia activæ, & passivæ ex se, & quatenus potentia sunt; actio verò, & passio solū induunt rationem cōditionis. Est contra Thomistas citatos pro tertia sententiā; & est conclusio, quam directè intendit Scotus locis citatis; & eam efficaciter probat eius ratio.

37 Nec valet, quod ad ipsam respondent recentiores, scilicet actionem, & passionē esse funda-

mētum quo, seu rationem formale fundandi istas relationes solū in fieri, non verò in conservari; & sic nullum esse inconveniēs, quod maneat transacta actione, & passione; nam, (vt bene vidit Scotus distinct. 6. citata) si solū requiruntur actio, & passio ad fieri istarum relationum, non verò ad conservari, manifestè infertur, actionem, & passionem non esse fundamentum harum relationū, sed solū induere rationem conditionis; quod est intentum. Sequela patet; quia, sicut relatio non fit per se, sed resultat ad effectiōnem fundamenti, ita neque conservatur per se, sed eius conservatio resultat ad conservationem fundamenti; aliās daretur motus per se ad relationem, saltem conservationis; ergo, si relationes istæ non pendent in conservari ab actione, & passione, sequitur manifestè, actionem, & passionem non esse fundamētum istarum relationum, sed solū esse cōditiones præviè requisitas in potentia activæ, & passivæ ad hoc, vt in ipsis fundari possint huiusmodi relationes.

38 Dico ultimò; actio, & passio sunt conditiones ad hoc, vt potentia activæ, & passivæ sint fundamentum harum relationum, per se, & essentialiter requisitæ. Hanc conclusionem intēdit Arist. dum dicit, relationes istas fundari in potentia activæ, & passivæ, vt subsunt actioni, & passioni; intendebat

bar enim assignare diferimen essentialiter inter istas relationes, & illas, quæ fundantur in nuda potentia activa, & passiva, quas dicant calefactivum, & calefactibile; quod non præteret, si hoc, quod est, potentias istas subesse actioni, & passioni; non esset conditiones ad istas relationes, de quibus loquimur, per se, & essentialiter in prædictis potentijs, quæ induunt rationem fundamenti, requisitæ.

39. Et ratio à priori est; quia (vt ex dictis in quarto notabili constat) conditiones per se, & essentialiter requisitæ ad aliquem effectum dicuntur illæ, quæ sufficient ad variandum effectum in specie, & sine quibus implicat per locum intrinsecum, quod producat, seu resultet effectus eiusdem speciei cum illo, qui resultat cum illis. Sed conditiones istæ, scilicet quod potentia activa, & passiva (quæ sunt fundamentum omnium relationum istiussecundi generis) subsint actioni, vel passioni, sunt sufficientes ad variandum in specie relationes; & implicat per locum intrinsecum, quod in potentia activa, vel passiva sine prædictis conditionibus resultent relationes eiusdem speciei cum illis, quæ resultant in eisdem potentijs cum istis conditionibus. (vt de se perspicuum est) ergo ad hoc, vt potentia activa, vel passiva sint fundamentum harum relationum, quod subsint actioni, vel passioni, conditiones sunt per se, & essentialiter requisitæ.

40. Restat fundamētis secunde, & tertie sententiæ satisfacere. Ad fundamentum Suarez; & Hortado negamus, potentiam generativam posse auferri ab homine ipso manente; cum susineamus cum Scoto, potentias istas sumptas, non pro respectu, sed pro illa formalitate absoluta, quæ denominatur à respectu, non distingui realiter à substantijs, quarum sunt potentia. Quod si aliquando dici solet, homines non habere potentiam ad generandum, non est, quia deficiat eis illa formalitas substantialis, in qua formaliter est potentia; sed quia deficiunt organa, seu instrumenta; quibus potentia illa suos actus exercet.

41. Ad fundamentum Thomistarum optimè respondet Scotus, Arist. dixisse has relationes fundari in potentia activa, & passiva, vt subsint actioni, & passioni, non quia actio, & passio sint fundamentum, aut quid complens formaliter fundamētum, sed quia sunt conditiones præviæ per se, & essentialiter requisitæ.

42. Est autem advertendum in calce huius sectionis id, quod animadvertit Scotus d. 13. citata littera V. vers. *Respondeo* nimirum, quod, quando Philosophus ponit pro exemplis relationum istius generis calefactivum, nomine calefactivi non intelligit subiectum, quod potest transmutari; nam relatio, quam dicit subiectum transmutabile

tabile ad transmutativam, est extrinsecus adveniens, & consequentur non ad istud genus, sed ad vnum ex sex ultimis prædicamentis spectans, scilicet ad passionem: sed intelligit totum illud, quod intelligitur possibile produci per calefactionem eo modo, quo 7. Met. tex. 22. & 27. dicit idem Arist. totum compositum generari, & hoc loquendo, tam de generationibus accidentium, quam substantiarum. Sumpto enim *calefactivo* in hoc sensu, relatio, quam dicit, est intrinsecus adveniens, sicuti & est cuiuscumque producti, & consequenter spectans ad hoc prædicamentum.

SECTIO III.

Explicantur relationes tertij generis.

43 **R**elationes huius tertij generis sunt secundum Aristot. quæ fundantur in mensura, & mensurabili, v. g. relationes scientiæ, & scibilis; intellectus, & intelligibilis, &c. Assignat autem Aristot. inter relationes huius generis, & relationes primi, & secundi notandum discrimen; scilicet quod relationes primi, & secundi generis sunt mutua; secus autem relationes huius generis. Unde relativa primi, & secundi generis (inquit Arist.) dicuntur ad aliquid, quia id ipsam, quod vnumquodque est, ad aliud dicitur: tamen relati-

va huius tertij generis, licet dicatur ad aliquid, quia vnum re vera est ad illud; alterum tamen non dicitur ad aliquid, quia re vera sic ad illud, sed quia aliud est ad ipsum, v. g. scientia, & scibile quamvis ad aliquid dicantur, tamen diverso modo, nam scientia sic dicitur, quia verè est ad scibile; scibile verò, non quia sit ad scientiam, sed quia scientia est ad ipsum. Idemque est iudicium de intellectu, & intelligibili, & de alijs similibus.

44 Hoc autem discrimen intelligendam est, quantum est ex vi, & natura fundamentorum; nam in effectu producto à Deo, datur respectus realis; qui (si est prædicamentalis, vt aliqui contendunt) spectabit ad secundum genus; & tamen non est mutuus, cum ex parte Dei nullus respectus realis illi correspondeat. Tamen hoc non est ex vi, & natura fundamenti; sed quia Deus, qui est terminus, non est capax relationis realis, sicuti neque cuiuscumque alterius accidentis.

45 Circa hoc tertium genus relationum dubitant Authores, an in illo contineantur aliqua veræ relationes ad hoc tertium prædicamentum spectantes? Aliqui dicunt, Arist. in hoc genere non collocasse aliquam relationem realè, quæ intrinsecè in sit, & referat suum subiectum; sed solum enumerasse denominationes quasdam extrinsecas relativæ sumptas, & provenientes ex relationibus realibus existen-

existentibus in alijs extremis. Et in hoc dicunt consistere discrimē positam ab Aristot. inter relationes huius, & priorum generum, scilicet, quod relationes priorum generum sunt intrinsecæ, ac per consequens earum subiecta dicuntur ad aliquid, quia verè sunt ad aliud; at relationes huius generis, cum sint extrinsecæ, earum subiecta non dicuntur ad aliquid, quia verè sunt ad aliud, sed quia alia sunt ad ipsa.

46 Quod si his Authoribus obijcias; sequitur ex hoc, non collocari in hoc tertio genere relationes scientiæ ad scibile, sensus ad scibile, & alias similes; quia hæ sunt reales, & intrinsecæ, & consequenter earum subiecta dicuntur ad aliquid, non quia alia sunt ad ipsa, sed quia ipsa sunt ad aliud. Respondent, ita esse. Quamvis in assignando genere, in quo debeant collocari, sit aliqua variatio; nam quidam eas collocant in primo; alij verò in secundo. Neque Aristot. (inquit) docuit oppositum; quia pro relationibus huius tertij generis non enumeravit relationes scientiæ ad scibile; sensus ad scibile; sed è contra scibilis ad scientiam, sensibilis ad sensum. Sic enim ait: *Alia sunt relationes, ut mensuræ ad mensurabile, scibilis ad scientiam, sensibilis ad sensum, &c.*

47 Quod si iterum obijcias; sequitur etiam ex hoc Arist. non rectè enumerasse mèbra huius divi-

sonis; siquidè relationes tertij generis non sunt veræ, & reales relationes. Respondent Arist. in prædicto loco non divisisse relationē veram in communi, sed tradidisse generales modos, quibus res denominari possunt relativæ, quos ad tria capita reduxit; & in primo, & secundo collocavit relativa, quæ sic dicuntur, quia verè sunt ad aliud; & in tertio relativa, quæ sic dicuntur, non quia verè sunt ad aliud, sed quia alia sunt ad ipsa, vt scibile, scibile, &c.

48 Hunc modum philosophandi circa relationes huius generis disputationis gratia, & vt non parum fundamentum habentē in doctrina Arist. proponit Suar. 2. to. suæ Metaph. disp. 47. sect. 13. Tamen (vt ipse fatetur) verius, & cōformius Aristoteli est id, quod cōmunis sententia docet; & tenetoster Scor. in 4. d. 28. q. 2. lit. H. & quoli. 13. lit. M. & in 1. d. 30. q. 2. & 5. Metaphys. quæst. 13. scilicet dari quasdam relationes ad hoc tertium genus spectantes, quæ in vno extremo veræ, & reales sunt; & sic illud intrinsecè referunt ad aliud; quod aliud non iterum mutuo refertur per veram relationē, quam in se habeat, sed solum dicitur referri extrinsecè, eò quod terminet alterius extremi relationem. Et in hoc consistere differentiam positam ab Aristotele inter relationes huius tertij generis, & relationes primi, & secundi.

49 Et in primis, quòd aliquæ duntaxat huiusmodi relationes inductione constat in scientia, & scibili; in intellectu, & intelligibili, & in alijs quibuscumq; potentijs, seu actibus illarum, & suis obiectis. Neque obstat, quòd Arist. solum exemplificaverit in relationibus scibilis ad scientiam, sensibilis ad sensum; non verò in relationibus scientiæ ad scibile, sensus ad sensibile. Respondetur enim, hoc fecisse, quia volebat ostendere, relationes huius generis nò esse mutuas; & sic posuit exemplum in illis extremis, in quibus nò sunt relationes; non verò quia existimaverit, relationes scientiæ ad scibile, sensus ad sensibile ad hoc genus non spectare.

50 Quòd verò huiusmodi relationes habeant fundamentum proximam diversæ rationis à fundamentis proximis duorum priorum generum; & consequenter constituent tertium genus relationum distinctum ab illis, probari potest. Primò, quia huiusmodi relationes habent modum referendi valde diversam à modis referendi relationum priorum generum: siquidè modus referendi istarum relationum non est mutuus; modus verò referendi relationum priorum generum est mutuus. Diversus verò modus referendi signum evidens est diversorum fundamentorum formalium in relationibus.

51 Secundò, quia istæ relationes solum resultant inter res, qua-

rum vna habet suam entitatè alteri commensuraram, ita vt vna sit mensura, & alia mensurabilis; constat autem, rationem mensuræ, & mensurabilis esse diversum fundamentum à fundamentis relationum priorum generum.

52 Ratio verò, ob quam relationes istæ sunt non mutue, id est, in vno tantum extremo reales, & intrinsecæ, est specialis modus specificationis, & cõmensurationis, quem habent habitus, potentiæ, & actus ab obiectis: specificantur enim, & illis commensurantur per tendentiam, & respectum secundum dici, quæ dicunt ad illa, ipsis obiectis nil agentibus, præter hoc, quòd est extrinsecè terminare prædictam tendentiam, seu respectum; ex hoc enim provenit, quòd, etiam si in habitibus, in potentijs, & actibus illarum sit relatio realis, & vera ad sua obiecta; non verò in obiectis ad habitus, ad potentias, & actus illarum; sed solum est in illis denominatio quædam extrinseca à tendentia ipsarum potentialium habituum, & actuum in ipsa proveniens.

53 Quòd si aliquis objiciat: ratio mensuræ non est quid reale, sed denominatio extrinseca ex hominum voluntate proveniens: (vt ex dictis in cap. de Quant. constat) ergo non poterit esse fundamentum relationum realium, & prædicamentalium. Respondetur, hic nò sumi mensuram, vt in cap. de Quant. scilicet pro medio, quo nos uti solemus

lemus ad cognoscendam alterius magnitudinē; quia hæc, (vt argumentum obijcit) cum formaliter solum sit denominatio extrinseca, non potest esse fundamentum relationum realium, & prædicamentalium. Sed sumitur mensura pro obiecto, cum quo habitus, vel potentie, vel actus harum potentialium proportionantur, & commensurantur. Quod non est denominatio extrinseca.

54 Neq; obstat, quod hoc obiectum aliquando possit esse ens rationis, vt in Logica cōtingit; nam quando hoc evenit, in habitibus, vel in potentijs, vel actibus harum poterit arari; quæ cum illo cōmensurantur, nō resultabit relatio realis; sed ex defectu realitatis termini, non verò ex natura harum relationum.

QVÆSTIO II.

Vtrum una relatio fundari possit supra aliam?

DIuus Tho. 1. p. q. 42. ar. 1. ad 4. tenet partem negativam, scilicet vnā relationem nō posse fundari supra aliā. Quem secuntur Caiet. Canariensis, Vazq. Molina super hunc articulū, Ferrara 4. contra gentes, Soncin. 5. Met. q. 29. Didacus à Iesu disp. 14. q. 3. Caber. disp. 3. dub. 6. & alij; & probant. Primò; relatio est forma, à qua alia referuntur; ergo nequit esse fundamentum, seu referri relatione superaddita, & à se distincta. Patet consequentia; quia non

alia ratione dicūt cōmuniter Authores, vnionē nō vniri alia vnione superaddita; & actionem nō fieri per aliam actionē; existentiam non existere per aliam existentiam; & inhærentiam nō inhære per aliam inhærentiam; nisi quia omnia ista sunt formæ, à quibus alia vniuntur, fiunt, existunt, & inhærent: ergo idem erit iudicium de relatione.

2 Secundò, quia, si vna relatio posset fundari super aliā, daretur processus in infinitū. Patet; nam, si paternitas fundaret aliā relationem, v.g. identitatis in natura specifica cum alia paternitate, illa idētitas posset etiā fundare aliam relationem identitatis cum identitate alterius paternitatis; & sic in infinitum.

3 Tertiò, si duæ relationes posset fundare, & terminare aliquā relationem, maximè relationem identitatis, vel diversitatis, similitudinis, vel dissimilitudinis. Sed relationes identitatis, & diversitatis ex Arist. 5. Met. c. 13. fundantur solum in vnitare, & multitudine substantiæ; & similitudinis, & dissimilitudinis in vnitare, & multitudine qualitatis: nulla ergo relatio ex mente Arist. fundatur supra aliam.

4 His non obstantibus tenendū est cum Scoto in 4. d. 6. q. 10. lit. D & d. 12. q. 1. lit. D. & alibi sæpè vnā relationem posse immediatè fundari supra aliam. Scorum sequuntur Licherus noster, & Maironis eisdem locis, Antonius Andreas

5. Met. q. 13. & lib. de sex Principijs, q. 10. & ex Thomistis Suarez disp. 47. sect. 11. Rubius q. 11. & quam plures alij. Quæ sententia probatur primò à Scoto ex Euclide lib. 5. Geometriæ, ubi definiens proportionalitatem dicit, esse similitudinem duarum proportionum: quod non esset verum, si ratio similitudinis supra relationes proportionis fundari non posset.

5. Secundò; quia nulla potest excogitari ratio, propter quã duæ substantiæ, v.g. Petrus, & Ioannes, dicantur eadem in natura specifica à relatione reali immediatè fundata super ipsas, non verò duæ paternitates; cum in re ipsa habeant eundem modum convenientiæ, scilicet in natura specifica; & etiam eodem modo dicantur eadem in natura specifica, sicut dicuntur Petrus, & Ioannes.

6. Quod enim in tertio argumento insinuat, scilicet Arist. docuisse, relationem identitatis realem solum fundari in unitate substantiæ, non verò in unitate relationis, aut alterius prædicamenti, nihil præstat; quia (vt annotavimus in quæst. præced.) ibi pro unitate substantiæ idem intelligit Arist. ac unitatem in essentia; & quidditate. Constat autem, duas paternitates ita esse vnas in quidditate, & essentia, sicut sunt vnum Petrus, & Ioannes.

7. Quod etiam insinuat in primo argumento, scilicet ideo duas substantias, v.g. Petrus, & Ioan-

nem dici easdem in natura specifica à relatione reali superaddita, & in ipsis immediatè fundata, non verò duas paternitates; quia paternitas essentialiter est forma, qua alia referuntur; & ideo non indiget relatione ei accidentaliter superaddita ad hoc, vt ad aliud referatur, nil etiam præstat; nam licet paternitas essentialiter sit forma, qua pater refertur ad filium; & sic ad hoc, vt ipsa referatur ad filium non indigeat alia relatione accidentali superaddita: tamen manifestum est, paternitatem non esse essentialiter formam, per quam vna paternitas refertur relatione identitatis in natura specifica ad aliam paternitatem; cùm paternitas sit ratio secundi generis, & identitas in natura specifica primi; ergo ad hoc, vt vna paternitas referatur ad aliam paternitatem relatione identitatis in natura specifica, indigebit sanè relatione identitatis ei accidentaliter superaddita; non secus, ac indigent duæ substantiæ; quæ immediatè fundabuntur super ipsas.

8. Ad primum argumentum in contrarium respondetur, ex eo, quod ratio sit essentialiter referendi, sequi quidem non indigere accidentali relatione superaddita, & quæ in ipsa immediatè fundetur ad hoc, vt referatur ad illum terminum, ad quem ipsa essentialiter est ratio referendi. Non verò sequi,

non indigere relatione accidentaliter superaddita, & in ipsa immediate fundata ad hoc, ut actu, & formaliter referatur ad alium terminum, respectu cuius ipsa non essentialiter ratio referendi: v.g. quia paternitas est ratio referendi patrem ad filium, bene sequitur, non esse necessariam relationem ei accidentaliter superadditam, ut ipsa referatur ad filium. Tamen ad hoc, ut referatur relatione identitatis in natura specifica ad aliam paternitatem indigebit utique; quia respectu huius termini non est essentialiter ratio referendi, sed id, quod accidentaliter refertur.

9 Ad secundum argumentum respondent aliqui, nullum esse inconueniens, quod in relationibus detur processus in infinitum; sicut neque est inconueniens, quod detur in divisione continui. Sed hæc solutio admitti non debet; quia inter relationem, & fundamentum est ordo per se quasi cause, & effectus; & in rebus per se ordinatis, docuit Aristot. 2. Metaph. non esse admitendum processum in infinitum.

10 Melius respondet Scotus in 2. dist. 1. q. 4. §. *Ad questionem istam*, & quolib. 3. lit. P. scilicet negando sequi processum in infinitum in relationibus, ex eo quod vna possit fundari super aliam; nam sistendum est in relationibus, quæ referuntur relatione eiusdem rationis cum ipsis; v.g. licet duæ paternitates referantur relatione idé

titatis, eò quod convenient in natura specifica; quæ relatio est illis accidentaliter, & superaddita; tamen relatio identitatis, quæ est in vna paternitate, non refertur ad identitatem, quæ est in alia paternitate, per relationem identitatis ipsis superaddita. Tum quia istæ idéntitates, cum sint simul natura, vna non poterit esse sine alia; & consequenter relatio identitatis, qua referuntur, non poterit separari a fundamento; quod est signum identitatis relationis cum fundamento. Tum etiam, (& est ratio magis universalis) quia, cum ipsæ essentialiter sint idéntitates, & rationes formales faciendi alia eadem, se ipsis denominabuntur eadem, & non forma superaddita. Sicuti quia albedo essentialiter est alba, & ratio formalis faciendi alia alba, non indiget alia albedine superaddita, a qua alba denominetur.

11 Ad tertium patet ex dictis, Aristot. nomine vnitatis substantiæ intellexisse vnitatem in quidditate; quæ cum reperiri possit in relationibus, non secus, ac in substantiis; hinc est, ut non solum in substantiis fundetur relatio identitatis, vel diversitatis, sed etiam in relationibus; imò in rebus cuiuscumque prædicamenti; cum in omni reperitur vnitatis in essentia rerum diversarum.

12 Imò addit Scotus in 1. distinct. 19. questione 1. litera B. idem esse dicendum de relatione similitudinis, & æqualitatis; quia

sicut substantia, sumpta pro essentia, reperitur in omni predicamento; ita & quantitas, sumpta pro quantitate virtutis; & similiter qualitas, sumpta pro illa formalitate, quæ habet rationem determinabilis. Quæ ratione 5. Met. cap. de qualitate de differentia dicitur; *differentia essentialis qualitas est*. Et Porphyrius cap. de Differentia dixit, quod differentia *predicatur in quale quid*. Et sumendo quantitatem, & qualitatem in hac lata significatione, poterunt relationes æqualitatis, & similitudinis fundari in rebus cuiuscumque predicamenti; licet strictè sumptis quantitate, & qualitate, solum fundantur in rebus ad ista duo predicamenta spectantia.

QVÆSTIO III.

Quo pacto relatio distinguatur à fundamento?

Quæstio procedit de relatione *secundum esse*, ut sub se comprehendit, tam predicamentalem, quam transcendentalem; de cuius distinctione à fundamento ex professo disputat Scotus in 2. d. 1. q. 5. ubi tres ponit sententias principales, duas extremas, & alteram mediam, quam ipse amplectitur.

2. Prima sententia ex extremis universaliter affirmat, nullam relationem *secundum esse*, realiter distingui à suo fundamento. Quæ tribuitur Nominalibus, qui (ut

vidimus in disputatione 1. qu. 1. super hoc caput) non alia ratione moti sunt ad negandum dari relationes reales in rerum natura, nisi, quia relationes, supra fundamentum nil reale intrinsecum addere existimabant præter denominationem extrinsecam à coexistentia cum altero relativo provenientem. Quam sententiam postea secuti sunt aliqui eorum, qui affirmant, dari in rerum natura relationes reales, scilicet Suarez disputat. 47. sect. 2. & alij ex Thomistica familia, quos referunt Rubius quæst. 14. & Cursus Carmel. quæst. 5.

3. Probari solet hæc sententia eisdem argumentis, quibus contendebant Nominales, non dari relationes reales in rerum natura, quæ adduximus, & solvimus disput. 1. q. 1. Specialiter verò nunc probatur; nam illa, quæ realiter distinguuntur, realiter separari possunt inter se, saltem per absolutam Dei potentiam. Sed posito fundamento, & termino non potest, adhuc de potentia Dei absoluta, relatio à fundamento separari: ergo fundamentum, & relatio non sunt realiter distincta.

4. Secunda sententia ex extremis è contrario tenet, omnes relationes *secundum esse* in universum distingui realiter à fundamento; vel tanquam res à re, vel tanquam res, & modus rei. (De hoc enim controversia est, ut in fine huius quæstionis explicabo.) Hæc

est

est sententia D. Thom. 1. p. q. 28. artic. 2. in solutione ad 2. & in 1. d. 4. q. 1. artic. 1. ad 3. & d. 33. q. 1. quem secuntur Caiet. Bañez, & quam plures alij, quos referunt, & secuntur Rubius hîc q. 14. & Cur sus Carmel. disp. 14. q. 5.

5 Fundamentum eorum est; quia, si aliqua esset relatio, quæ nõ distingueretur realiter à suo fundamento, maxime illa, sine qua fundamentum nequit existere, v. g. relatio, quam dicit creatura ad Deum. Sed hæc realiter distinguitur à suo fundamento: ergo & omnes. Minorem probat Scorius in fauorem ipsorum duobus argumentis.

6 Primum; omnia, quæ sunt in mundo dicunt relationem creaturæ ad Deum: ergo, si hæc relatio est idem realiter cum fundamento, sequitur, quod omnia, quæ sunt in mundo, sint ad aliud, non solum accidentaliter, sed etiam indenticè: consequens est falsum; quia est idem inconueniens, quod colligit Arist. 4. Metaph. contra Heraclitum, & Cratylum afferentes, veritates rerum consistere in quadam apparientia; contra quos sic arguit Arist. apparientia est relatio: ergo, si omnia consistunt in apparientia, ergo omnia sunt ad aliquid. Quod reputat Philosophus, vt absurdum, & inconueniens: ergo, si consequens est falsum, etiã erit antecedens.

7 Secundum argumentum est. Nihil vnus prædicamenti est res

alterius prædicamenti; quia ex Arist. 5. & 10. Metaph. prædicamenta sunt primò diversa, id est, in re non convenientia. Sed relatio creaturæ ad Deum est de prædicamento relationis, cum sit intrinsecus adueniens; creatura verò, quæ est fundamentum huius relationis est, vel de prædicamento substantiæ, vel de prædicamento quãtitatis, vel qualitatis: neque igitur ergo relatio creaturæ ad Deum, & eius fundamentum identificari realiter.

8 Tertia sententia, & quasi media inter istas, distinguit duo genera relationum *secundum esse*. Primum earum, sine quibus possunt esse fundamenta, v. g. relationes similitudinis inter duo, alba, relationes paternitatis, filiationis, &c. Secundum earum, sine quibus fundamenta existere non possunt, vt sunt relatio creaturæ ad creatorem, relatio diversitatis, quam dicunt omnia entia creata ad Deum, &c. Et de prioribus relationibus affirmat, distingui realiter à suo fundamento, de posterioribus verò, non distingui realiter, sed formaliter. Hæc est sententia Scoti, non solum loco citato, sed etiam in 3. d. 8. q. 1. quam omnes eius discipuli secuntur, & nobis videtur probabilior, & sequenda. Quæ his duobus assertis explicabitur.

9 Primum assertum. Quando relationes talis naturæ sunt, vt fundamenta possint esse sine ipsis, præ-

di & relationes distinguuntur realiter à suis fundamentis. Probat argumentum Scoti. Quando aliqua ita se habent, vt vnum possit existere sine alio, est signum evidens distinctionis realis inter illa. Sed hæc relationes, & sua fundamenta ita se habent: ergo signum evidens est, quòd distinguantur realiter. Maiorè (præterquàm quòd est expressa Arist. 7. Physic. cap. 1. vbi sic ait: *Amplius, si potest alteri sine altero esse, non erit idem*) probat Scot. quia eo modo, quo de aliquibus dicuntur duo cōtradiçtoria, illa debent esse non idè: ergo, si de duobus dicuntur hæc cōtradiçtoria, quòd sint, & quòd non sint, necessarium erit, quòd illa in esse, & entitate non sint idè, sed diversa.

10 Ad hoc argumentum (quod efficacissimum est) duo respondent adversarij. Primum est, fundamentum posse quidem esse sine formalitate relationis; non verò sine illius realitate. Sed cōtra hoc facile possumus obijcere. Realitas, & formalitas relationis nil aliud sunt, quàm existentia, & essentia relationis. (Realitas enim cuiuscumque rei appellatur eius existentia, & formalitas eius essentia.) Sed sic est, quòd fundamentum plurium relationum non solum potest esse absq; essentia relationis, sed etiã absq; eius existentia: ergo nō solum in pluribus relationibus potest esse fundamentū relationis absq; eius formalitate, sed

etiam absque eius realitate.

11 Et confirmatur; quia vel formalitas illa, quæ destruitur ablato termino, est ens reale intrinsecè inhærens fundamento, vel non? Si est ens reale intrinsecè inhærens, hoc reale est relatio: ergo, si separatur à fundamento, necessarium est, vt non solum formaliter, sed etiam realiter à fundamēto distinguatur. Si non est ens reale intrinsecè inhærens fundamento, sequitur, quòd formalitas relationis consistat in mera denominatione extrinseca. Quod est incidere in opinionem Nominalium supra refutatam, & quam etiã in hoc sensu reiçiunt Suarez, & alij citati pro opposita sententia.

12 Secundum, quod respondent, est, non quamcumque separationem vnus ab alio esse signū distinctionis realis; sed solum separationem mutuam. Vnde, cum inter relationem, & fundamentum eius non sit mutua separatio, (nam etiam si plura fundamenta possint esse sine relatione, nulla tamen relatio esse potest sine fundamento) ideo dicunt, ex prædicta separationem non colligi, tamquam à signo evidenti, distinctionem inter relationem, & fundamentum realem.

13 Sed (præterquàm quòd hæc solutio est contra Aristot. qui verbis citatis ad distinctionem realem solum nō mutuam separationem exposulat) probari potest, esse nimis volutarium exposcere mu-

mutuam separationem ad distinctionem realem. Primò exemplo de humanitatis subsistentia, quæ etiam si non possit existere sine humanitate; omnes tamen colligunt distingui realiter ab ipsa humanitate, ex eo præcisè, quòd potest humanitas existere sine ipsa, vt contingit in humanitate Christi Domini.

14 Secundò; quia, si vna res potest existere sine alia, etiam si non possit evenire è contra propter imperfectionem alterius, hæc non mutua separatio sufficiens est ad hoc, vt de ipsis hæc duo contradictoria verificentur, scilicet esse, & non esse: ergo erit etiam sufficiens ad colligendam distinctionem realem inter esse illarum rerum. Quia (vt supra dictum est) eo modo, quo à parte rei duo contradictoria de aliquibus verificantur, illa debent esse à parte rei non idem, & consequenter distincta.

15 Secundum assertum. Quàdo relationes talis naturæ sunt, vt fundamentum non possit existere sine ipsis, adhuc de potentia Dei, prædictæ relationes non distinguuntur realiter à fundamentis, sed solùm ex natura rei formaliter. Et in primis, has relationes non esse distinctas realiter à fundamentis probari potest. Primò; quia non sunt multiplicadè entitates sine necessitate. Sed vltra relationes reales transcendentales, quas dicunt fundamenta, quæ non possunt esse sine

relatione ad terminum, ad quem referuntur, v.g. vltra relationem transcendentalem dependentiæ, quæ dicit omnis creatura ad Deum, & relationem diversitatis, quam dicit ens finitum ad infinitum, quæ non sunt realiter diversæ à fundamentis, cù sint passiones, vel modi intrinseci illarum, non est necesse ponere relationes huius prædicamenti accidentales, & realiter à fundamentis distinctas: ergo relationes, sine quibus fundamenta esse non possunt, non distinguuntur realiter ab illis. Discursus est optimus. Maior manifesta. Probat minor. Si aliqua necessitas esset ponendi has relationes, vel esset, quia fundamentum potest esse sine illis, vel quia diversam denominationem illi tribuant ab illa, quæ accipit à relatione transcendentali. (Hæc enim sunt duo capita, quæ nos cogunt ad constituendas relationes accidentales, & distinctas à fundamentis.) Sed, vt supponimus, implicat, quòd fundamentum esse possit sine prædictis relationibus; & insuper eandem denominationem acciperent ab illis cum ea, quam modò accipiunt à transcendentibus, quas realiter includunt: ergo nulla est necessitas ponendi in prædictis fundamentis relationes prædicamentales accidentales, & realiter distinctas ab illis.

16 Secundò probari potest idem assertum argumento Scoti. Quando vnum non pendet essen-

tialiter ab alio, inseparabilitas ipsius ab alio est manifestum signum identitatis realis cum alio. Sed fundamentum relationis non dependet essentialiter à relatione, cum sit prius natura illa, & prius natura non possit essentialiter pēdere ab ipso posteriori: ergo, si est inseparabile ab ipsa relatione, signum evidens erit identitatis realis cum illa. Maior, in qua esse poterat difficultas, probatur: quia ex duobus tantum capitibus potest provenire, quod unum sit inseparabile, adhuc per potentiam absolutam Dei, ab alio; vel quia pendet essentialiter ab illo; vel quia est idem realiter cum illo: ergo, quando unum non pendet essentialiter ab alio, inseparabilitas ab illo signum evidens erit identitatis realis cum illo.

17 Secundam partem huius asserti, scilicet has relationes esse distinctas formaliter à fundamentis, probat Scotus, quia illa sunt distincta formaliter, quorum unum non est de quidditate alterius, neque in illo includitur in primo modo dicendi per se. Sed istæ relationes non sunt de quidditate sui fundamenti; neque in illo includuntur in primo modo dicendi per se: ergo distinguuntur formaliter ab illo. Maior est certa ex dictis in universalibus disput. 1. q. 2. sect. 1. num. 32. Minor patet, quia nullus respectus est de essentia absoluti; aliàs, ut dicebamus cap. de Accidenti q. 4. nu. 13. idem esset

essentialiter ad se, & ad aliud, ac per consequens, ad se, & non ad se.

18 Restat argumentis in contrarium respondere. Ad primum adductum pro prima sententia dicimus, duobus modis posse intelligi, relationem non posse separari à fundamento. Primò, ita ut relatio maneat non existente fundamento. Secundò ita, quòd, posito fundamento, & termino, Deus nõ possit impedire resultantiam relationis. Primo modo concedo libenter, nullam relationem posse separari à fundamento: sed hoc nõ provenit ex idēitate reali, quam habent omnes relationes *secundum esse* cum suis fundamentis, sed ex dependentia essentiali, quam dicit omnis relatio à suo fundamento.

19 Secundo modo falsum existimo, relationes prædicamentales, ut sunt similitudo, paternitas, &c. non posse separari à fundamento. Quod etiã docuit fidelis Scoti interpres, Franciscus Maironis in 1. d. 28. quæst. 8. contra Lichetum quolib. 11. & Bargium in 1. d. 28. quæst. 3. lit. B. oppositum asserentes. Et ratio à priori est; quia (ut docuit Scot. in 1. d. 1. q. 4. & in 2. d. 12. q. 2. & in 4. d. 48. q. 2. & alibi sæpè) in essentialiter ordinatis, & realiter distinctis potest Deus conservare prius sine posteriori. Sed positio fundamenti, & termini, & relatio, quæ inde resultat, sunt essentialiter ordinata, ita ut positio

fun:

fundamenti, & termini sit prior natura ipsa relatione, quæ inde resultat; & ex alia parte relationes prædicamētales similitudinis, paternitatis, &c. sunt realiter distinctæ à fundamento, & termino: ergo iuxta principium Scoti fatendum est, posse conservare Deum positionem fundamenti, & termini, & impedire, ne inde resultet relatio.

20 Nec refert, quod aliqui obijciunt, esse impossibile, quod vnus homo genuerit aliū, & quod, vtroque permanente, vnus non sit pater, & alius filius. Nam, cum dupliciter possit intelligi, aliquem esse patrem, vel filium, scilicet formaliter, & fundamentaliter, respondemus cum Mairone loco citato, quod in hypotesi, quod Deus sua potentia impediret resultantiam relationis patris, & filij; tūc illi homines, quorum vnus alterum genuit, dicerentur pater, & filius fundamentaliter, non verò formaliter.

21 Ad fundamentum secundæ sententiæ respondetur negando minorem. Et ad primum argumentum adductum ab Scoto in fauorem illius respondet ipse Scotus, nullum esse inconueniens, quod omnia, quæ sunt in mundo includant identitate reali respectum. Sed solum esse inconueniens, quod omnia, quæ sunt in mundo, includant essentialiter respectum; quia plura sunt in mundo absoluta, quibus implicabit, essentialiter, &

quidditative includere respectū. Et hoc esse inconueniens, quod colligit Arist. contra Eraclitum, & Cratylum loco citato, scilicet quod, si omnes veritates rerū consisterēt essentialiter in appariētia, omnes res essentialiter essent ad aliud; quia appariētia est relatio.

22 Ad secundum respondet etiam Scotus duobus modis. Primo negando maiorem. Et ad probationem adductam ex Aristot. respondet, duobus modis posse intelligi, prædicamenta esse primò diversa. Primo modo realiter, hoc est, ita vt res vnus prædicamenti non possit esse idem realiter cum re alterius. Secundo formaliter, hoc est, ita vt res vnus prædicamenti non possit esse de essentia, & ratione formali alterius. In primò sensu negat Scotus, prædicamenta esse primò diversa. In secundo verò sensu concedit, esse primò diversa. Et hoc pacto esse intelligendum Arist. sed nil concludere contra nos, qui solum dicimus, relationem creaturæ esse idem realiter cum fundamento, non formaliter.

23 Secundò respondet (& est solutio in quam magis inclinac) negando minorem, scilicet relationem creaturæ ad Deum esse de tertio prædicamento, scilicet relationis, sed esse (etiam si sit intrinsecus adueniens) relationem transcendentalem, cum cōueniat enti, antequam dividatur in decē prædicamēta. Vnde perse in nullo præ-

præ-

prædicamento collocatur, sed reduciue ponitur in prædicamento sui fundamenti; nec mirum, cum sit modus intrinsecus illius.

24 Sed pro complemento inquires. Vtrum distinctio realis, quã dicimus versari inter aliquas relationes, & fundamentum ipsarum, sit dicenda distinctio inter rem, & rem? an verò inter rem, & modũ rei? Rubius, & alij recentiores dicunt, esse appellandam distinctionem inter rem, & modum eius.

25 Sed quamvis hæc quæstio sit solum de modo loquendi, sententia Rubij non nobis placet. Sed dicendum est cum Scoto in 2. d. 1. q. 5. hanc distinctionem esse appellandam distinctionem inter rem, & rem. Et ratio efficax est; quia etiam si relatio (vt annotavit Scotus) non sit res ita perfecta, sicut eius fundamentum; negari

tamen non potest, esse rem, cum in suis speciebus quid completum sit compositum ex genere, & differentia, & vnum ex membris, in qua per se diuisum est ens reale ab Arist. 5. metaph.

26 Neque obstat primò, quòd relatio sit, qua fundamentum se habet tali modo; nam hoc est commune omni accidenti. Quantitas enim est, qua substantia se habet tali modo; & similiter qualitas; & manifestum est, quantitatem, & qualitatem esse res, & non modos propriè loquendo.

27 Neque obstat secundò, relationem, adhuc de potentia absoluta, non posse existere sine fundamento; in quo videtur assimilari modis; nam nõ omne, quod nõ potest existere sine alio, dicitur modus, sed illud, quod ita non potest existere sine alio, vt simul sit quid incompletum. Quod nõ habet relatio.

DISPUTATIO III.

De relatione respectu sui termini.

IN hac vltima disputatione tria examinanda restant de relatione. Primum, *Vtrum relatio terminetur formaliter ad absolutum, an verò ad respectivum?* Secundum, *Vtrum relationes specificentur à terminis, an à fundamentis?* Tertium, *Vtrum multiplicatis terminis multiplicentur relationes eiusdem speciei in eodem subiecto?*

QVAESTIO

QVAESTIO PRIMA.

*Verum relatio terminetur formaliter ad absolutum?
an ad respectivum?*

SENSUS quaestionis est, utrum ratio formalis, ob quam vnum relativum terminat relationem alterius, (filius, v. g. relationem patris) sit aliqua forma absoluta, scilicet potentia passiva, quae est in filio, (& in sententia Scoti non distinguitur realiter ab ipsa filij substantia) vt subest, tanquam conditioni, generationi? an verò sit forma relativa, scilicet relatio filiationis?

2 Prima sententia affirmat, in omnibus relativis, tam mutuis, quam non mutuis terminum formalem, seu rationem terminandi esse alteram relationem. Ita Caietan. 1. p. q. 13. artic. 7. quem sequitur Cursus Carmel. disput. 14. q. 6. & pro ipsa adducit D. Thom. Bañez, Zumelem, Flandriam, & plures alios, Fundamentum illorum est; quia ex Aristot. in hoc cap. relativa sunt simul natura, cognitione, & definitione. Sed si ratio formalis terminandi vnum relativum non esset relatio alterius correlativi, sed illius entitas absoluta, vnum relativum non esset simul natura, cognitione, & definitione cum alio, sed cum entitate absolu-

ta, quae est in illo ratio formalis terminandi: ergo dicendum est, rationem formalem terminandi vnum relativum non esse aliquam entitatem absolutam, sed relationem alterius correlativi.

3 Secunda sententia distinguit relativa mutua à non mutuis; & de prioribus idem docet, quod Caiet. scilicet terminum formalem illorum esse relationem correlativi oppositi. De posterioribus verò docet, terminum formalem illorum non esse aliquam relationem, sed necessariorum esse aliquid absolutum. Ita Ferrara 2. contra gentes cap. 11. Numphius 5. Metaph. disp. 14. Rubius quaestione 7. Masius hinc sect. 3. Gallego controu. 29. & plures alij.

4 Et in primis terminum formalem relativorum, quae non sunt mutua, non posse esse relationem, sed entitatem absolutam, probat (& optimè) contra Caiet. & alios; quia in illorum correlativis, praeter denominationem extrinsecam, à parte rei nulla forma relativa excogitari potest, quae valeat esse ratio terminandi. Sed haec correlativa nequeunt terminare relationem per extrinsecam denomi-

natio-

nationem; quia hæc est posterior natura ipsa terminatione. (Est enim ipsa actualis terminatio causa illius.) Ergo necessariò fatendum est, illam terminare per aliquid absolutum. Et consequenter in relativis non mutuis terminum formalem, seu rationem terminandi non esse relationem, sed entitatem aliquam absolutam.

5 Deinde relativorum mutuorum terminum formalem, seu rationem terminandi esse relationem correlativi oppositi, præter argumentum adductum pro sententia Caiet. probant primò isti Authores ex Arist. qui in hoc cap. quærens proprium correlativum, & terminum huius relativi, *servus*, docet, esse dominum. Quod probat, quia ablata relatione dominij ab hoc relativo, etiam si alia mancant, non dicitur aliquis servus, & ea posita, etiã si cætera auferantur, vt esse bipedem, vel scientiæ susceptibilem, vel hominem, dicitur aliquis servus: sentit ergo Arist. vnum relativum terminari ad aliud, vt relativum est; & nõ sub aliqua ratione absoluta.

6 Secundò probant ex Porphyrio, qui cap. de Specie docet, se definiisse speciem per genus, & genus per speciem, quia sunt relativa, & vnum relativum debet defini per aliud, tanquam per terminum suæ relationis.

7 Terriò probant rationibus. Prima, quia nõ videtur, quo pacto inter relativa, vt relativa sunt, sit oppositio, nisi, vt talia, se respiciant.

Secunda, quia in divinis relatio Patris non terminatur ad absolutum filij; neq; è contra relatio filij ad absolutum Patris: ergo neq; in humanis. Consequenter patet à paritate rationis. Antecedens verò conceditur ab omnibus Theologis.

8 Verior tamen, & probabilior sententia est, quæ in univèrsum affirmat, omnia relativa, tam mutua, quam nõ mutua terminari formaliter ad aliud, non inquantum relativum, sed inquantum absolutum est. Itaq; in pariete albo rationem formalem terminandi relationem similitudinis, quæ est in alio pariete albo, dicit sententia ista, non esse relationem similitudinis mutua, quæ est in illo, sed unitatem in qualitate, quam habet paries albus cum alio, quæ est fundamentum proximum, seu ratio fundandi tuam relationem. Et idem dicit de filio, scilicet rationem formalem terminandi relationem patris nõ esse relationem filiationis, sed potentiam passivam, quæ est in filio, vt subest generationi, quæ est fundamentum proximum, seu ratio fundandi filiationem. Ita tenet Subtilis Doctor in 1. d. 26. q. 1. & d. 30 q. 2. §. Respondet. Secutur Lichet. & Tartaret. ibid. & ex Thomistis Capreol. q. 1. art. 2. ad 3. Soncin. 5. Met. q. 30. ad 2. & eam accuratè explicat, & defendit Suar. tom. 2. Met. disp. 47. se ct. 16.

9 Et quidè sic esse philosophandum in relativis non mutuis satis evidenter ostendit argumentum factum

in

in secunda sententia. Quod verò idè sit dicendum de relativis mutuis, probari potest. Primò, quia cõmune, & receptũ axioma inter Philosophos est, relationẽ intrinsecũs advenientem, quæ est, quæ ad hoc pertinet prædicamentũ, resultatẽ posito fundamẽto, & termino, siæ (quod idè est) ex positione fundamẽti, & termini: ergo terminus formalis vnus relationis non potest esse altera relatio opposita. Probo consequentiam; nam, cum relationes oppositæ sint simul natura, implicat, quòd vna resultat ex alterius positione.

10 Secundò, terminus formalis relationis nil aliud est, quàm ratio formalis, per quam aliqua res talis est, vt possit relationẽ terminare. Sed hæc semper est aliquid absolutum: ergo in mutuis relativis terminus formalis non est altera relatio. Discursus est optimus. Maior certa. Probatur minor inductione facta per relationes primi, & secundi generis; quæ sunt relationes mutux, & de quibus nũc est difficultas. Nam in primis vnũ album non dicitur posse terminare relationem similitudinis, quam ad ipsum dicit aliud album, quia in ipso est relatio similitudinis opposita; sed quia albedo, quæ est in ipso, est eiusdem intensiõis cum albedine alterius albi: aliàs duo alba non dicerentur similia in albedinis intensiõne, sed in relatione similitudinis. Et similiter homo non dicitur posse terminare

relationem diversitatis, quam ad ipsum dicit equus, quia habet relationem mutuam diversitatis; quia potius in hoc sunt similes homo, & equus: sed quia quidditas hominis est alia à quidditate equi.

11 In relativis autem secundi generis idem etiam manifestè cõvincitur; nam Petrus, v. g. genitus à Ioanne non dicitur, terminare posse relationẽ paternitatis, quam dicit Ioannes ad ipsam, quia in ipso est relatio filij; quia, si per possibile, vel per impossibile Deus impediret prædictam relationem filiationis, esset potens terminare prædictam relationem paternitatis eò præcisè, quòd esset substantia genita à Ioanne: ergo esse substantiam potentem generari, vt subest, tãquam conditioni, à actuali generationi Ioannis, est terminus formalis, & ratio terminandi in Petro relationem paternitatis, quam ad ipsum dicit Ioannes, & non ratio, seu relatio filiationis.

12 Terriò probatur à simili de relationibus non mutuis; fatentur enim Auctores secũdæ sententiæ, relativa non mutua non terminari formaliter per relationem, quia in termino illarum nõ est relatio; quæ possit esse ratio formalis terminandi: ergo etiã si in terminis relativorũ mutuo rũ sit aliqua relatio, debent consequenter dicere, illam nõ esse rationem formalem terminandi, sicut neq; est in non mutuis, sed solũ terminare relatio.

tionem oppositam materialiter, & concomitanter, eò quòd entitas absoluta, quæ est terminus formalis relationis est similiter fundamentum proximum relationis oppositæ; quod non habet entitas absoluta, quæ est terminus formalis relationis non mutux. Probo sequelam. Primò; quia, (vt modò dicebamus) si per possibile, vel impossibile in altero extremo impeditur relatio, conservato eius fundamento, æquè perfectè relatio alterius extremi posset ad illud terminari: ergo signum evidens est, illas duas relationes esse simul per concomitantiam, & non per formalem terminationem.

13 Secùdò, (& est ratio à priori) quia terminare est solùm denominatio extrinseca còveniēs termino, non ex eo, quòd ipse sit ad aliud, sed ex eo, quòd aliud sit ad ipsum: ergo ad terminandum non est formaliter, & per se requisita in termino relatio opposita; sed hoc solùm continget per accidēs, & concomitanter; scilicet quia terminus formalis relationis mutux talis est naturæ, vt simul proximè fundet relationem oppositam, quæ necessariò ipso posito confurgit.

14 Ad fundamentum Caiet. & aliorum respondetur, relativa mutua, seu relationes dici ab Aristot. esse simul natura, non quia vna sit terminus formalis alterius, (vt Caiet. & alij existimant) quia ex hoc potiùs sequeretur oppositum; nã,

cum relatio resultet, & quasi causetur ex positione fundamenti, & & termini, relatio, quæ esset terminus alterius, esset prior natura illa, quia omnis causa, vel quasi causa est prior natura suo effectu. Dicuntur ergo ab Aristoteles relationes, seu relativa mutua esse simul natura, quia, cum eorum termini, & fundamēta ita sint connexa, vt fundamentum vnius sit terminus alterius, & è contra, non potest expositione fundamēti, & termini vna relatio resultare in vno extremo, quin simul resultet alia omninò concomitanter, & absq; vllò ordine inter se dependentiæ, & causalitatis; quod est esse simul natura. Et cum eodē modo res se habeant ad cognosci, sicut se habent ad esse, dicendum est consequenter, relativa mutua dici ab Aristot. simul cognitione; non quia in sua cognitione vnum pendeat ex cognitione alterius; aliàs, illud, quod in sua cognitione pēderet à cognitione alterius, esset cognitione posterius: sed quia, sicut relationes istæ resultāt expositione fundamēti, & termini omninò concomitanter, & absq; vllò ordine causalitatis, & dependentiæ vnius ab alia, ita similiter cognitio, & inter se collatis fundamentis, & terminis illarum, omninò concomitanter relationes istæ cognoscuntur, & absquè vlla dependentia cognitionis vnius à cognitione alterius.

15 Objicies; vnum relativum defi-

definitur per aliud: ergo cognitio
vnius p̄det à cognitione alterius;
& consequenter non erunt simul
cognitione, seu definitione. Res-
pondetur, hanc obiectionē habe-
re vim contra adversarios, qui di-
cūt, vnam relativum terminari ad
aliud, vt relativū est, & consequen-
ter definiri etiam per aliud rela-
tivum, vt relativum est. Non verò
habere vim contra nos, qui dici-
mus, vnum relativum terminari
ad aliud, non vt relativum est, sed
vt absolutum. Respōdemusenim,
vnum relativū definiri per aliud,
non, vt relativum est, sed vt est ab-
solutum. Vnde non sequitur pen-
dere in cognitione à cognitione
relationis oppositæ; sed à funda-
mento illius. Nec mirum, cum
eamdem dependentiam habeat
in esse; & eodem modo res se
habeant ad cognosci, sicut ad
esse.

16 Ad argumenta secundæ sen-
tentiz contra nostram conclusio-
nem responderetur. Ad authorita-
tem Aristot. in prædicto loco so-
lùm docuisse correlativum pro-
prium, & terminum huius relati-
vi *servus* esse Dominum, non verò
bipedem, aut capaceam discipli-
næ. Tamen, quòd domino conve-
niat terminare relationem servi
per relationem dominij, & nō per
fundamentum eius proximum, nō
docet ubi Aristot. neque sequitur
ex eius probatione; nam quòd
ablata ab aliquo relatione domi-
nij auferatur ab alio relatio servi,

& quòd posita ponatur, non pro-
venit ex eo, quòd relatio servi for-
maliter terminetur ad relatio-
nem dominij; sed ex eo, quòd fun-
damenta, & termini harum rela-
tionum ita sunt connexa, vt fun-
damentum vnius sit terminus al-
terius, & è contra; & sic est impos-
sibile, quòd vna relatione posita
non ponatur alia; & quòd vna ab-
lata non auferatur alia.

17 Ad authoritatem Porphy-
rij patet ex dictis, quomodo sit in-
telligendum id, quod affirmat,
scilicet vnum relativum definiri
per aliud: non enim est ita intel-
ligendum, vt vnum definiatur per
aliud, vt relativum est, sed per
aliud, vt quid absolutum est po-
tens fundare oppositam relatio-
nem.

18 Ad primam rationem res-
ponderetur, duo relativa, verbi gra-
tia, patrem, & filium, esse opposita
formaliter, & vt relativa sunt, non
quia relatio patris formaliter ter-
minetur ad relationem filij: sed
quia fundamentum paternitatis,
& fundamentum filiationis ita sunt
opposita, vt vnum sit terminus for-
malis alterius. Vnde, sicut & hæc
fundamenta requirunt alietatem,
(vt sic dicam) ita & ipsæ relatio-
nes, quæ in ipsis proximè fundan-
tur.

19 Ad secundam responderetur
negando paritatem rationis: quia
relationes divinæ, cum subsisten-
tes sint, non habent fundamentum
præter se ipsas. Vnde non mirum,
quòd,

quod, sicut se ipsis fundantur (ut ita loquar) ita unaquaeque se ipsa terminat suam correlativum. Imò addo, in hoc servari proportionalem rationem; nam, sicut dictum est, in humanis relationem mutuam terminari formaliter per fundamentum oppositae relationis, & non per ipsam relationem; sic in divinis dicendum est, relationem filij, v. g. terminare relationem Patris, non in quantum à nobis concipitur, ut relatio est, sed in quantum à nobis concipitur, ut fundamentum sui ipsius.

QVÆSTIO II.

Verum relationes specificentur à terminis, an à fundamentis?

CVM inquirimus, an relationes specificentur à terminis, an à fundamentis? non est sermo de specificativis intrinsecis. Nam cum tam fundamentum, quam terminus sint extrinseca relationi, certum est, nullum horum posse esse specificativum intrinsecum illius. Sed est sermo de specificativis extrinsecis. Quavis enim unaquaeque res à sua intrinseca entitate habeat formaliter suam essentiam, & consequenter suam specificationem; tamen, quia plures sunt res, quarum intrinseca entitates, nos latentes, consistunt in ordine, seu habitudine, vel secundum dici, vel secundum esse ad aliqua extrinseca; quae extrinseca eò ipso erunt signa

manifesta specificationis intrinsecae praedictarum rerum nos latentis; ideo receptum est inter Philosophos, ut specificatione intrinsecam harum rerum per praedicta extrinseca, à quibus pendent, & quae signa sunt specificationis intrinsecae nobis ignoret, indagemus. Quod docuit Scotus in 2. d. 1. q. 5. lit. G. vers. *Ad quintum.*

2. Et ratio dubitandi est, quia neque ex fundamentis, neque ex terminis videtur posse indagari specificatione in relationum. Non ex fundamentis; quia in eodem fundamento possunt fundari relationes diversae speciei; ut videri est in albo, quod habet relationem similitudinis, ad aliud album; & dissimilitudinis ad nigrum. Non ex terminis. Primum, quia etiam idem album terminat relationem similitudinis alterius albi; & dissimilitudinis, quam dicit ad ipsum aliquod nigrum. Secundò quia filius refertur ad patrem, & ad matrem relatione eiusdem speciei; & tamen pater, & mater sunt termini diversae speciei; cum in probabilissima sententia pater sit principium activum, & mater principium passivum.

3. His non obstantibus dicendum est cum communi sententia, relationes extrinsecè specificari, tam ex fundamentis, quam ex terminis sumptis non materialiter, sed formaliter, id est, ut subsunt rationibus formalibus fundandi, & terminandi, & similiter condi-

tio.

tionibus fundandi, & terminandi per se, & intrinsecis; quales diximus esse ex mente Scoti in relationibus secundi generis respectu aliquarum relationum a actionem, & passionem. Ita Scotus; nam relationes extrinsecè specificari à fundamentis docet in 2. loco supra citato. Et specificari extrinsecè, tam à fundamentis, quam à terminis docet in 4. d. 12. q. 1. lit. C. ver. *Secunda conclusio*. Pro eadem sententia citatur D. Tho. à recentioribus Thomistis; & merito. Nā quamvis in aliquibus locis videatur dicere, relationes sumere specificationem à fundamentis, ut in 3. p. q. 35. ar. 5. & quolib. 9. art. 4. tamen alibi etiam docet sumendam esse hanc distinctionem ex terminis, scilicet 1. p. q. 32. ar. 2. & 1. 2. q. 54. art. 4.

4 Probatur hæc sententia ex Arist. qui ex utroq; capite docet, esse sumendam specificationem relativorum. Nam 5. Metaphys. cap. 15. (ut disp. præced. quæst. 1. vidimus) diversa genera, seu species subalternas distinguit ex diversis fundamentis formalibus. Et 6. Topic. cap. 3. docet, relativa esse definienda per terminum, quia dicunt essentialem ordinem ad illum. Et ratio à priori est; quia omnis relatio in sua ratione quidditativa, & essentiali includit, tam habitudinem ad fundamentum, quam ad terminum: (ut docuit Scotus loco quarti citato) ergo tam fundamentum, quam termi-

mus erunt illa extrinseca, per quæ speciem, & quidditatem relationis nos latentem debemus indagare, & explicare.

5 Est autem advertendum, quòd, sicut in composito Physico substantiali duo concurrunt ad intrinsecam specificationem eius; materia scilicet, & forma. Ex quibus materia se habet, sicut initium talis entitatis indifferens ad hoc, ut per formam compleatur, & perficiatur; ita ex his quasi partialibus habitudinibus, quæ concurrunt ad intrinsecam, & specificam entitatem relationis, habitudo ad fundamentum habet se, sicut initium talis entitatis indifferens, ut per habitudinem ad terminum compleatur, & perficiatur. Et hinc ortus est communis modus loquendi inter Authores, qui comparantes specificationem, quam sumit relatio à fundamento, cum specificatione, quam accipit à termino, dicunt, relationes specificari à fundamentis initiativè, & quasi in genere causæ materialis; à terminis verò completivè, & quasi in genere causæ formalis.

6 Ad rationes dubitandi respondetur, idem album posse quidem fundare diversas relationes in specie, sed non secundum eandem rationem formalem fundandi, sed secundum diversas. Et idem dicimus de termino, scilicet, posse idem album terminare diversas relationes in specie;

sed non secundum eandem formalem rationem terminandi; sed secundum diversas; ut manifeste apparet in exemplis in rationibus dubitandi adductis. Tamen, quod hinc infertur, solum est, relationes non specificari ex fundamentis, & terminis materialiter sumptis; non vero non specificari a fundamentis, & terminis sumptis formaliter, ut nos asserimus.

7 Id vero, quod adducebatur de relatione filij ad patrem, & matrem, solum habet difficultatem in sententia D. Thm. & aliorum, qui affirmant, matrem non concurrere activè, sed passivè ad generationem filij; & sic ipsi videant, quid respondere possint, non enim est circa hoc inter ipsos unanimis consensus, ut videtur est apud Cursum Carmelitarum disp. 14. quaest. 7. §. 2. Tamen in sententia Scoti, qui tenet in 3. dist. 4. quaest. unica cum Geleno lib. 4. de usu partium, & lib. 2. de semine, matrem ad generationem filij activè concurrere, nullam difficultatem habet, ut de se patet.

8 Sed dubitabis primò; an ratio similitudinis inter duo alba sit eisdem speciei cum relatione similitudinis inter duo nigra? Respondemus affirmativè; quia, etiam si in his relationibus termini, & fundamenta materialia sint diversae speciei; sed non termini, & fundamenta formalia; et haec potius sunt eisdem rationis specificae, scilicet unitas in

qualitate; & ut ex dictis patet, relationes solum specificantur a terminis, & fundamentis formalibus, non vero a materialibus.

9. Secundò dubitabis, unde sumatur in relationibus ratio generis, & differentiae? Respondetur, genus in relationibus non sumi praecipue ab habitudine, quam dicit ratio ad fundamentum; de qua dictum est, se habere quasi initium intrinsecae entitatis relationis; assimilarique materiae. Neque differentiam ab habitudine, quam dicit ratio ad terminum; de qua dictum est, se habere, quasi complementum entitatis intrinsecae relationis; assimilarique formae. Sed tam genus, quam differentiam desumi a tota intrinseca entitate relationis secundum diversas formalitates, seu gradus, qui in ipsa sunt; quidam potentiales, & contrahibiles; & quidam actuales, & contrahentes; genus a formalitatibus, seu gradibus potentialibus, & contrahibilibus; differentiam vero a formalitatibus, seu gradibus actualibus, & contrahentibus iuxta dicta cap. de Differentia disp. 1. q. 4. n. 2.

QUESTIO III.

Utrum multiplicatis terminis multiplicentur relationes eiusdem speciei in eodem fundamento?

1 **E**Gimus in quaestione praecedenti de unitate specifica relationis

lationis; restat, vt in hac agamus de vnitatem numericam. Prima sententia affirmat, relationem solum sumere vnitatem numericam ex habitudine ad subiectum. Vnde consequenter docet, in vno subiecto relationes eiusdem speciei non multiplicari numero, etiam si multiplicentur termini totales, & adaequati illius; v. g. in vno patre non esse plures paternitates numero distinctas, etiam si habeat plures filios; sed vnicam tantum magis, vel minus extensam iuxta pluralitatem, aut paucitatem filiorum. Ita D. Tho. in 3. d. 8. q. 1. & 3. p. q. 35. arr. 5. & quolib. 1. ar. 2. & quolib. 9. ar. 4. quem secuntur; Caiet. & Medina 3. p. q. 35. citata, Capreolus in 1. d. 3. l. 5. Metaph. q. 18. Ferrara 1. contra gentes cap. 4. Soncinas 5. Metaphys. q. 32. concl. 3. Toletus q. 2. huius praedamenti, Rubius q. 8. & plures alij, quos refert, & sequitur Cursus Carmel. disp. 14. q. 7. §. 4.

12 Et probant primo, accidentia individuatur a subiecto. Sed relationes sunt accidentia: ergo individuatur, ac per consequens sumunt vnitatem numericam ex habitudine ad subiectum, in quo inhaerent. Maiorem probat; quia ex Arist. 3. Met. c. 3. & 5. Met. c. 6. in formis omnis distinctio, aut est formalis, & haec est specifica, aut materialis, siue ex subiecto; & haec est numerica.

13 Secundum; quia non sunt multiplicandae entitates in eodem sub-

iecto sine vrgenti necessitate. Sed nulla necessitas vrget multiplicandi relationes eiusdem speciei in eodem subiecto ex multiplicatione terminorum: ergo in eodem subiecto non sunt multiplicandae relationes eiusdem speciei ad multiplicationem terminorum. Minorem probat Rubius: primo a simili de habitibus, qui non multiplicantur numero in eadem potentia ex eo, quod multiplicentur conclusiones, aut actus scientifici. Secundo, quia ad effectum formalem, quem praestare possunt plures numero relationes sufficiens est vna: ergo superflue ponuntur plures. Antecedens probat; quia ideo ponitur in homine relatio paternitatis, vt per ipsam sit hic homo numero pater formaliter: sed per vnam paternitatem sit hic homo formaliter hic numero pater; & etiam si ponantur plures, non erit alius pater: ergo vera est illa propositio, scilicet ad effectum formalem, quem praestare possunt plures numero relationes, sufficientem esse vnicam.

14 Et confirmatur a Masio: vbi multiplicantur formae, multiplicantur concreta. Sed in vno homine habente plures filios non sunt plures partes: ergo neque plures paternitates.

15 Secunda, & vera sententia per oppositum affirmat, relationem sumere vnitatem numericam non solum ex habitudine ad subiectum, seu fundamentum, sed etiam ex

habitudine ad terminum totalem & adæquatum: vnde consequenter dicit, relationes eiusdem speciei multiplicari numero etiam in eodem subiecto, seu fundamento ex eo præcisè, quòd terminus totalis, & adæquatus multiplicetur: verbi gratia, in vno humine esse plures numero paternitates ex eo, quòd genuerit, & habuerit plures filios à parte rei existentes. Hanc sententiam defendit Scotus in 3. dist. 8. q. vnica lit. A. & quolib. 11. §. *De tertio patet*, & 5. *Metaphys. q. 7.* Quem secuntur omnes Scottistæ, Lichetus super locum tertij, & ibidem Tartaretus, & super hoc cap. §. *Dubitur tertio*. Basolis 5. *Metaphys. q. 12.* & ex Thomistis aliqui recèntiores; præcipuè Suarez in sua *Met. disp. 5. sect. 8.* & *disp. 47. sect. 17.* Fonseca 5. *Met. c. 10. q. 1. sect. 3.* & Molina 1. p. q. 1. ar. 3.

6 Et ratio à priori est; quia (vt iam communis sententia fert, & nos latè probabimus Deo dante, in *Physica*) in accidentibus principium individuationis nō sumitur ex subiecto, sed à tota entitate intrinseca accidentis secundum vltimam actualitatem: (quæ vltima actualitas à Scoto dicitur hæccieras) sed de intrinseca entitate relationis (vt dictum est q. præced.) non est sola habitudo ad subiectū, seu fundamentum; sed etiam habitudo ad terminum: ergo principium individuationis, ac per consequens vnitas numerica in rela-

tionibus, nō solūm sumitur ex habitudine ad subiectum, seu fundamentum; sed etiam ex habitudine ad terminum; & consequenter, tam ex multiplicatione terminorum, quàm ex multiplicatione fundamenti multiplicabuntur numero relationes.

7 Secundò probatur eadem sententia; quia non apparet, quæ ratione verificari possit id, quod sequitur ex opposita sententia, scilicet vnum subiectum, seu fundamentum referri ad duos terminos adæquatos vnica tantūm relatione. Primò, quia, si ex duobus filijs, v.g. ad quos vnus pater dicit relationem realem, moriatur vnus, altero permanente, definit esse relatio realis, quæ erat ad filiū mortuum, permanente in rerum natura relatione reali ad filiū vivum. Sed implicat, quòd eadem numero entitas realis sit, & non sit in rerum natura: ergo & quòd eadem numero relatione paternitatis vnus pater referatur ad duos filios, ex quibus vnus potest mori, altero viventi.

8 Secundò, quia posita in patre actione generativa, & posito in rerum natura filio per talem generationem producto, resultat in patre vna relatio realis paternitatis: ergo similiter posita alia distincta numero generatione, & alio filio distincto numero per ipsam producto, necessariò resultabit alia distincta numero paternitas à paternitate præexistente.

9 Nec valet, quod respondent aduersarij, scilicet ex eo, quod po natur in patre nova generatio, & in rerum natura novus filius productus, non sequi, esse necessariū, quod ponatur in patre nova relatio paternitatis, sed sufficere (inquiunt) quod præexistens extendatur ad novum terminum. Nam, cum relatio non possit exendi ad novum terminum, nisi per adventum novæ relationis, sicut nec quantitas, nisi per adventum novæ quantitatis, dicere, quod expositione novæ generationis, & novi filij extenditur paternitas, & non advenit nova paternitas, contradictionem in adiecto involvit.

10 Tertiò, quia, si pater per vnam solam paternitatem respiceret plures filios, sequeretur, quod vna numero relatio penderet essentialiter à duobus terminis totalibus: ac per consequens militarent contra istam sententiam omnes rationes, & omnia in conventionia, quæ in Physica (Deo favente) adducemus ad probandum, eundem numero effectum nõ posse pèdere à duabus causis totalibus: quæ nõ levia sunt. Sequelam probò; quia quilibet filius est terminus adæquatus paternitatis: aliàs pater, qui haberet vnicum tantum filium, non haberet terminum adæquatum relationis paternitatis.

11 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negamus, accidentia individuari à subiecto. (vt latè

demonstrabimus in Physica) Ad auctoritatem Arist. adductam ad hoc probandum pro nunc respõdemus, Philosophum appellasse differentiam individualement, seu numericam, materialem, nõ quia existimaverit, principium individuationis in substantijs sumi à materia præcisè, & in accidentibus à subiecto, quod in ipsis habet se, sicut materia; sed quia (vt dixi super 1. cap. Porphyrii disput. 1. q. 3. sect. 1. num. 3.) principia individuationis cõtrahunt quidditates, & naturas universales ad esse singularium; ac per consequens ad esse subijcibilem, & frequens est apud Arist. subiectum materiam appellare.


12 Ad secundam rationem concessa maiori negamus minorem; nam, cum probatum sit, non posse vnum relativum referri per vnicam relationem ad plures terminos totales, vrget sanè necessitas ponendi in vno subiecto plures relationes ad plures terminos non minor, ac ponendi vnam ad vnum terminum. Et ad probationes Rubij responderetur. Ad primam, falsum esse, habitus non multiplicari in esse rei, seu qualitatis ad multiplicationem conclusionum. Licet enim scientia sit vna in esse scibilis, quando habet vnicum formale obiectum, tamen in esse rei, tot qualitates sunt in vnaquaque scientia, quot sunt conclusiones, quæ in scientia demonstrantur; vt non levis fundamentis

latē ostendimus q. 5. Proceſſuali
ſecti. 1. d. numero 14. Ad ſecūdā
negamus vnam paternitatē poſ-
ſe præſtare effectum formale, quē
plures præſtant; nam vna paterni-
tas non poteſt præſtare, quod vnus
pater referatur ad plures filios, ſeu
dicatur pater reſpectu ipſorum,
ſicut præſtant plures.

13. Ad confirmationem ex
Maſio reſpondetur, falſum eſſe ad
multiplicationem formarum mul-
tiplicari cōcreta; quia etiā requi-
ritur multiplicitas ſubiectorum,
quociens concreta ſunt accidenta-
lia, vt eſt hoc concretum *pater*.

14. Sed inquireſ; cur acciden-
tia abſoluta ſolum numero diffe-
rentia, vt ſunt duæ albedines, &c.
non multiplicentur in eodem ſub-
iecto, benē tamen accidentia rela-
tiva? Reſpōdetur, rationem eſſe,

quia; cum accidentia abſoluta
eiſdē ſpeciei, præter diſtinctionē
entitatem in omnibus alijs aſſimi-
lenter, non eſt neceſſitas multipli-
candi illa; quia otioſa eſſet eius
multiplicatio. At accidentia rela-
tiva, etiam ſi ſint eiſdem ſpe-
ciei, præter diſtinctionem entita-
tium habent quamdā diverſita-
tem materiale, eō quod ſint ha-
bitudines ad diverſos terminos
materiales; & ſic eſt neceſſitas
illa multiplicandi in eodem ſub-
iecto, quando multiplicantur ter-
mini materiales; quia non poteſt
præſtare vna eundē omninō effe-
ctum formalem, quē præſtat alia;
ſed materialiter diverſum. Hic
diſcutiendum erat, quo pacto ſit
coordinandum hoc prædicamentum.
Sed ſatis patet ex dictis in
diſp. 2. q. 1.



CAPVT OCTAVVM

DE QUALITATE, ET QUALI.

TEXTVS. *Qualitatem verò dico, qua quales quidem dicuntur, &c.*

RECOPIIATIO TEXTVS.

IN TENTVM Arist. in hoc cap. est agere de qualitate, & quali. Dividitur in duas partes. In prima describit qualitatem, tam in abstracto, quam in concreto, & enumerat species, seu modos qualitatis. In secunda enumerat proprietates qualitatis, & quoddam dubium solvit.

Deveniēdo ad primā partē, qualitatem in abstracto sic describit Aristot. *Qualitas est, qua quales esse dicimur.* Quae multas habet species, seu modos. Primus modus, seu species est habitus, seu dispositio; inter quae hoc est discriminē, quod habitus est qualitas diuturnior, & magis permanens, ac per consequens difficilē mobilis à subiecto; ut scientia, virtus, &c. Dispositio verò est qualitas citò transiens, ac per consequens facilē mobilis à subiecto; ut egritudo, sanitas, &c. Potest autem contingere, (inquit Arist.) ut dispositiones propter diuturnitatem reddantur difficilē mobiles à subiecto, ac per consequens, quod in naturam habitus transeant.

Secūndus modus, seu species qua-

litatis est naturalis potentia, & aut impotentia. Naturalis potentia est aptitudo, seu virtus ad faciliter faciendū aliquid; v.g. potentia ad velociter currendū, vel ad faciliter resistendū contrarijs; vt durities. Naturalis impotentia appellatur ab Arist. non negatio potentiae, sed imbecillitas, secundum quā aliquis difficiliter operatur, vt hebetudo ingenij, vel secundum quā aliquis egrē resistit cōtrarijs, vt molities.

Tertius modus, seu species qualitatis est passio, vel passibilis qualitas. Ad quā speciē pertinent omnes qualitates sensibiles; vt dulcedo, amaritudo, albedo, nigredo, &c. & dicuntur passionēs, seu passibiles qualitates; quia vel causant aliquā passionē in sensibus; vt dulcedo, amaritudo, &c. vel quia ex aliqua passione ortum habent; vt albedo, nigredo, &c. Est autē differentia inter passionē, & passibilem qualitatem, quod passibilis qualitas dicitur hāc qualitas, quādo diuturatur; passionēs verò citò trāseūt; vt rubor ortus ex verecundia.

Quartus modus, seu species qua-

litas est forma, & figura; vt tri-
 gulus, rectitudo, curvitas, &c. Ad-
 vertit autem Aristot. ad hanc spe-
 ciem non pertinere rarum, aut
 densum; asperum, aut lenem; quia
 hæc potius denotant diversam par-
 tium positionem, aut situm, quam
 quòd per ea quales denomine-
 mur. Ex his colligit definitionem
 qualitatis in còcreto dicēs. *Qualia
 verò sunt ea, quæ denominativè
 ab ipsis, aut alio aliquo modo dicun-
 tur, vt ab albedine albus; à musi-
 ca musicus; &c.*

In secunda parte adducit pro-
 prietas qualitatis dicēs; quòd
 prima proprietas est habere con-
 trarium; quam dicit, non conveni-
 re omni qualitati; nã colores me-
 dij, vt sunt viridis, flavus, &c. non
 habent contrarium. Secunda pro-
 prietas est suscipere magis, & mi-
 nus: quam etiam docet, non con-
 venire omni qualitati; nam vnus
 triangulus non est magis triangu-

lus alio. Tertia proprietas (& quæ
 secundum Arist. convenit omni-
 bus qualitibus) est, quòd secun-
 dum ipsam dicimur similes, aut
 dissimiles.

Obijcit sibi tandem Aristot.
 scientia est posita in prædicamen-
 to *ad aliquid*: ergo non pertinet
 ad hoc. Respondet primò, scienti-
 am nõ esse enumeratam in præ-
 dicamento *ad aliquid* inter rela-
 tiva *secundum esse*, sed inter rela-
 tiva *secundum dici*; quæ (vt ibi di-
 ctum est) qualitates sunt, & ad hoc
 prædicamentum pertinent. Secun-
 dò respondet, nullum esse incon-
 veniens, quòd eadem res secun-
 dum diversas rationes pertineat
 ad diversa prædicamenta; & ita
 dato, quòd scientia, sicut est pro-
 priè qualitas, esset etiam propriè
 relativa; nullum esset inconveniens,
 quòd alia, & alia ratione pertine-
 ret ad duo prædicamenta. Hæc
 Aristot. in lit.

ANNOTATIONES

circa literam.

CIRCA ordinem pro-
 cedendi annotandum
 est, meritò egisse prius
 Aristot. de qualitate,
 quam de actione, & cæteris poste-
 rioribus prædicamentis, quia præ-
 stantior est omnibus, & substantiæ
 vicinior.

2. Circa definitiones annotan-

dum est primò, Arist. seorsum ex-
 plicuisse abstractum, & concretum
 supremi generis huius prædicamē-
 ti, sicut etiam titulus promitte-
 bat; vel quia ab antiquis non eo-
 dem modo sumebatur; (vt notat
 Porphyrius in interrogationibus)
 vel quia definiendo, vt definivit,
 abstractum huius supremi generis
 per

per suum concretum, oportebat, etiam prædictum concretum aliquo modo explicare.

3. Secundò annotandum est ex Scoto in additionibus ad quæstionem 36. prædicamentalem, §. *Circa notificationem*, quòd, etiam si his definitionibus, quibus Arist. nobis declaravit genus generalissimum huius prædicamenti, tam in abstracto, quam in concreto, naturam eius nobis non explicuerit exactè, ac per consequens non tam dicendæ sint qualitatis definitiones, quam quædam illius notificationes, nihilominùs in eis tradendis nullum commisit circum, aut negationem. (vt contra omnes docuit Hurt. disp. 14. Metaph. sect. 1.) Nam, cum concreta (vt ibi docet Scotus) sint notiora quoad nos; & abstracta sint notiora simpliciter, seu natura sua; definiens qualitatem in abstracto per suum concretum, definiuit eã per id, quod est notius quoad nos; & iterum definiendo concretum qualitatis per suum abstractũ definiuit illud per id, quod est notius simpliciter, & natura sua.

4. Tertiò annotandum est ex eodem Scoto loco citato, per ultima illa verba posita in definitione qualitatis in concreto, *aut alio aliquo modo dicuntur* significari, non semper qualis in concreto esse denominativa; nam ad denominativum (vt in annotationibus ad caput 1. de Æquivocis, &c. nu. 6. & 7. diximus) non sufficit, quòd di-

catur de substantia; sed etiam est requisitũ, quòd formæ, à qua vim denominandi accipit, viciniam sit in nomine, id est, vt nomina eorum habeant idem initium, & solum differant in postremo syllabarum casu; quod non contingit in omnibus concretis qualitatis, vt videri est in concreto *studiosus*.

5. Circa proprietates qualitatis annotandum est, duas priores (scilicet habere cõtrarium; & suscipere magis, & minùs secundum intensiõnem) non esse proprietates qualitatis quarto modo; quia (vt ipse Arist. docet) non conveniunt omni qualitati. Lux enim, & figura non habent contrarium, sumendo cõtrarietatem propriè, vt hìc sumitur ab Arist. videlicet pro oppositione, quæ versatur inter duas entitates positivas, quæ sub eodem genere maximè distant, & ab eodem subiecto mutuo se expellunt. Imò colores medij, vt sunt viridis, flavus, &c. hoc pacto contrarij non sunt: (vt docet ipse Philosophus) nam nõ sunt formæ, quæ sub eodem genere maximè distant. Et similiter quadrangulus, & ceteræ figuræ non suscipiunt secundum intensiõnem magis, & minùs. Sunt tamen proprietates qualitatis primo modo, quia etiam si non conveniant omni qualitati, soli tamen qualitati conveniunt.

6. Neque obstat primò, quòd aliqui obijciunt; scilicet has proprie-

prietates etiam competere actioni; nam frigefactio contrariatur calefactioni, non secus, ac frigus contrariatur calori; & (teste Arist. cap. de Actione) actio suscipit intensiorem, & remissionem; ac per consequens suscipiet etiam magis, & minus secundum intensiorem. Respondetur enim, actionem habere contrarium, & suscipere magis, & minus secundum intensiorem, non ratione sui, sicut qualitas, sed ratione sui termini.

7 Neque obstat secundo, has proprietates enumeratas esse ab Arist. cap. præced. ut proprietates relativorum, nam (ut ibi notavimus) illas non enumeravit, ut proprietates relativorum *secun-*

dum esse, sed ut proprietates relativorum *secundum dici*. Constat autem ex ibidem dictis, relativa *secundum dici* non esse proprie relativa, sed proprie esse qualitates; & sic non mirum, quod illis hæ proprietates conveniant.

8 Circa tertiam proprietatem est annotandum, esse proprietatem convenientem qualitati quarto modo: nam omni, & soli, & semper qualitati convenit esse, secundum quam similes denominemur, aut dissimiles. (sumpta similitudine strictè) Quæ proprietas non consistit in actuali relatione similitudinis, aut dissimilitudinis; sed in aptitudine ad fundandas prædictas relationes.

DISPUTATIO VNICA.

De qualitate in communi, & particulari.

DE qualitate quatuor sunt examinanda. Primum, *Quid sit essentia qualitatris in communi?* Secundum, *Verum divisio qualitatris tradita ab Arist. sit sufficiens?* Tertium, *Utrum sit generis in species?* Et denique quartò agendum est *de qualitate in speciali.*

QVAESTIO PRIMA.

Quid sit essentia qualitatris in communi?

PRÆSVPPONO ex Arist. 5. Met. c. 13. & Scoto ibidem, qualitatem esse nomen æquivocum, Aliquando enim signifi-

cat differentiã essentialem cuiuslibet rei. In quo sensu sumpsit qualitatem Porphyrius, cum cap. de Differentia dixit, quod differentia predicatur *in quale quid*. Et qua-

litas hoc modo accepta divagatur per omnia prædicamenta. Aliquando verò significat quodcumque accidens prædicamentale. In quo sensu de omni accidenti dicitur, quòd prædicatur in quale de substantia, non solum quoad modum significandi, sicut differentiæ, sed etiam quoad rem significatã. Et qualitas hoc modo accepta divagatur per novem genera accidentium.

2. Demum aliquando accipitur qualitas magis strietè, & propriè, scilicet pro genere generalissimo huius prædicamèti, quam Arist. in hoc cap. nobis notificavit dicens: *Qualitas est, qua qualis denominamur*; eò quòd ad quæstionem absolutè factã per quale respondemus per accidentia huius prædicamenti. Vnde, si interrogamur, qualis est Petrus? respondemus; est sapiens, est albus, &c. Et de qualitate; ut sic, loquimur, cum inquirimus, quid sit essentia qualitatis?

3. Et sanè difficillimum est explicare, in quo cõsistat ratio essentialis qualitatis, ut sic. Vnde licet omnes unanimiter fateãtur, qualitatem esse prædicamètum à reliquis omnibus distinctum; nam non est substantia, cum non existat per se; neque quantitas, cum non habeat partes extensas quantitativè; neque relatiõ, cum sit accidens absolutum; neque aliquod ex sex ultimis prædicamentis, ut manifestè constabit, cum de eis ser-

mo fiat; variant nihilominus Authores in explicando, quid sit ille modus intrinsecus, per quem cõtrahitur accidens ad esse qualitatis, ita ut per ipsum distinguatur prædicamento à reliquis; nam per definitionem traditam ab Arist. hunc modum non explicari & fatentur omnes, & per se manifestum est.

4. Et in primis quidam dicunt, qualitatem constitui in esse talis, & distingui à reliquis prædicamètis accidentium, quia qualitas est accidens absolutum consequens formam. Sed licet hæc sic quædam proprietas qualitatis, sicut & est proprietas quantitatis esse accidens absolutum consequens materiam; & sic per ipsas communiter Authores distinguant qualitatis prædicamentum à prædicamèto quantitatis: (ut vidimus cap. 4. de Divisione incomplex. disput. unica q. 1. n. 7.) negari tamen non potest, hanc nõ esse proprietatem magis intrinsecam qualitatis; sicuti neque est quantitatis esse accidens absolutum consequens materiam; cum hæc proprietas non conveniat ei quattò modo; siquidem non convenit omni; nam figura est quædam qualitas, & tamè non convenit substantiæ ratione formæ, sed materiæ.

5. Suarez in Metaph. disp. 42. sect. 1. docet, qualitatem inter cetera accidentia hoc habere peculiare, quòd per se primò instituta est ad ornãdam intrinsecè, & perficien-

ficiendam substantiam, vt conuenienter affecta fit in suo esse, vel in virtute agendi. Vnde qualitatem in communi sic definit. *Qualitas est accidens quoddam absolutū adiunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis eius, tam in existendo, quàm in agendo.*

Hanc definitionem non immeritò, vt superfluam, & insufficientem rejicit Cursus Carmelit. disput. 15. quæst. 2. vt superfluam, quia in ea superfluè ponuntur plura verba. Primum est verbū *quoddam*; quod nec ponitur loco generis; cum loco illius ponatur accidens. Neque addit aliquid super ea, quæ ponuntur ex parte differentiæ. Secundum est, *adiunctum substantiæ creatæ*; id enim contentum erat in prima particula; siquidem accidens ex sua natura postulat adiungi substantiæ creatæ. Tertiū est, *ad complementum perfectionis eius*; nam, cū hoc non possit intelligi de complemento substantiali; sed necessariò explicandum fit de complemento accidentali; hoc etiā erat iam contentum in illis verbis, *accidens absolutum*; nam (quidquid fit de relationibus) saltem de omni accidenti absoluto, cum sint entia, & perfectiones secundū quid, verum est dicere, compleve substantiam in aliquo esse, & perfectione accidentali.

7 Vt insufficientem. Primò, quia vel illa particula, *tam in existendo, quàm in agendo* sumuntur collectivè, vel distinctivè? Si

collectivè, definitio est defectuosa; nam plures sunt qualitates, quæ non sunt activæ. Si distinctivè, incidit in alium defectum, videlicet prædictam definitionem in rei veritate non esse ynam, sed plures; neque per ipsam definiri genus supremum huius prædicamenti; (quod intendit Suarez) sed membris illa dividentiæ, quibus ad æquãtè convenit; naqueque pars talis definitionis. Secundò, quia prædicta definitio convenit alijs à definito; nam re vera de quãtitate verificatur, quòd *fit accidens quoddam absolutum adiunctum substantiæ ad complementum perfectionis eius, tam in existendo, quàm in agendo.* Siquidem quantitas est dispositio necessaria ad actiones agentiam materialium; & perfectio accidentalis eorum, per se etiā conferens ad ornamentum materialis substantiæ, cuius pulchritudo partium extensionem exigit, atque distantiam; quod non est, nisi à quantitate.

8 Propter hæc Hurt. disp. 14. Met. sect. 1. §. 4. aliter essentiam qualitatris, quæ est genus generalissimum huius prædicamenti declarat: affirmat enim, qualitatem in communi optimè sic definiri. *Qualitas est accidens absolutum à quantitate distinctum.* Cuius definitionis etiā meminit Suar. loc. citato n. 4. & probabilem appellavit.

9 Hanc etiā definitionem rejiciunt, vt non exactam Cursus Car-

Carmel. loco cit. in 1. q. 4. & Gallego
 controver. 27. Et præcipuum fun-
 damentum ipsorum est; quia vel
 nomine accidentis absoluti intel-
 ligit Hurta. quod non est vera re-
 latio prædicamentalis; & sic to-
 ta definitio convenit sex ultimis
 prædicamentis; siquidem in hoc
 sensu verè sunt accidentia abso-
 luta distincta à quantitate; vel
 intelligit quiddam nihilum dicit
 respectum adhuc *secundum deo*; &
 sic definitio non convenit omni
 qualitati; siquidem habitus, po-
 tentie, & plures aliæ qualitates
 includunt respectum *secundum di-
 co*; ergo hæc definitio, vel con-
 venit alijs à definito, vel non con-
 venit omni contento sub defi-
 nito.

1. 10. Nos autem, qui cum Sco-
 to, sustinemus, (vt. ex dicendis
 constabit) sex ultima prædica-
 menta esse veras relationes *secun-
 dum esse*, & prædicamentales, &
 solum differre à relationibus ter-
 tij prædicamenti; quia relatio-
 nes tertij prædicamenti intrinse-
 cùs adveniunt; at verò specian-
 tes ad sex ultima prædicamenta
 adveniunt extrinsecùs, non possu-
 mus definitionem istam reputare
 non exactam; cum re vera ita ali-
 qualiter nobis notificet naturam
 qualitaris, vt illam distinguat à
 quocumque alio prædicamento.

II. Nec refert, quòd detur per
 negationem; nam licet ex hoc
 re etè inferatur, non esse quiddi-
 tativam; non tamen inferatur, ne-

que exactam descriptionem con-
 tinere; nam per negationem pos-
 se rem aliquam exactè describi;
 (dummodo duæ conditio-
 nes observentur, quæ in ista qua-
 litatis descriptione verè obser-
 vantur. Prima, quòd in ea po-
 natur aliquod positivum loco ge-
 neris; Secunda, quòd illa, quo-
 rum negationes ponuntur loco
 differentie, aliàs sint exactè ex-
 plicata;) & docent ipsi ad ver-
 tarij capite de Accidenti disp. 9.
 questione 1. num. 6. & colligitur
 ex Porphyrio, qui in eodem capi-
 te accidens per negationem des-
 cripsit dicens. *Accidens est, quod
 neq; est genus, neq; species, neque
 differentia, neque proprium. semper
 tamen est in subiecto.*

12. Aliud è tamen hæc definitio,
 quam de qualitate tradidit Hur-
 rado, nobis displicet, nimirum quia
 nõ explicat nobis essentiam qua-
 litatis, seu in quo consistit modus
 ille intrinsecùs; per quem ens
 contrahitur ad esse qualitaris, &
 ratione cuius qualitas constituit
 hoc prædicamentum distinctam
 ab omnibus alijs; quod est, quod
 intendimus in hac questione. Si
 enim nobis non placuit definitio
 Arist. non quia nõ erat exacta des-
 criptio, sed quia essentiam quali-
 tatis ignotam relinquebat; cur no-
 bis placebit definitio Hurta. quæ
 et si exacta descriptio sit, tamen
 multò magis ignotam, quam defi-
 nitio Arist. naturam, & essentiam
 qualitaris relinquit?

13 In re ergo ita difficili, & de qua Scotus nil disputavit, non possum non adhaerere sententiae D. Thom. 1. p. q. 28. artic. 2. quam communiter eius discipuli secuntur, quos citat, & sequitur Curfus Carmel. loco supra citato; nimirum modum intrinsicum, per quem accidens contrahitur ad esse qualitatis in communi, & quae est genus generalissimum huius praedicamenti, & consequenter in quo sita est eius essentia, vel saltim eius magis intima passio, per quam debet essentia qualitatis, quae nos latet, declarari, consistere in hoc, quod est, esse dispositionem substantiae in se ipsa.

14 Pro cuius intelligentia primò advertendum est, quòd cum ex Aristot. 5. Metaph. tex. 2. 4. dispositio in communi *sit ordo habentis partes*; & insuper partes sint in duplici differentia; (iuxta dicta capite de Quantitate disp. 1. q. 1. & 2.) quaedam quantitativa, quae in quantitativibus continuis, & permanentibus dicunt ordinem ad locum; & quaedam entitativa, quae reperiuntur in substantijs secluso ordine ad locum; ita etiam dispositio, seu ordo habentis partes erit in duplici differentia; alia in ordine ad locum, quae sic ordinat partes rei, ut una correspondeat sursum, alia deorsum, &c. & haec constituit praedicamentum *situs*; & alia, quae ordinat partes rei in se ipsis secluso ordine ad locum. Et de dispositione in hoc ultimo sensu intelli-

tur conclusio nostra.

15 Secundò advertendum est, ad hanc dispositionem non esse necessarium, ut verè, & realiter sint partes in subiecto; nam (ut bene advertunt recentiores) habitus intellectus appellatur ab Aristot. in hoc cap. & est vera dispositio; cum tamen in intellectu non sint verè, & realiter partes, quae per talem habitum disponantur. Sufficit ergo, quòd in in subiecto sit quaedam indifferentia, & potestas ad plurà; quae est virtualis quaedam latitudo, ratione cuius apprehendimus in intellectu, v. g. quasi plures partes potentiae, etiam respectu obiecti formalis eiusdem habitus, secundum quas potest, tam extensivè, quam intensivè actuari per talis habitus extensionem, vel intensionem. Unde habitus per sui extensionem, vel intensionem actuans illas quasi partes potentiae intellectus verè est dispositio; quia per talem gradualem activationem ponit ordinem inter tales partes, quae antea intelligebantur, quasi confusae, & in ordinatae.

16 Ex his ergo, quae annotavimus circa intelligentiam nominis *dispositio*, manifestè convinci potest, modum intrinsicum, per quem contrahitur accidens ad esse qualitatis, consistere (ut dicebamus cum D. Tho.) in hoc, quòd est, esse *dispositionem substantiae in se ipsa*, non secùs, ac de quantitate dicebamus; consistere in hoc, quòd est, esse extensionem partium sub-

substantiæ in ordine aptitudinali ad spatium; siquidem ratio dispositionis, vt sic, nulli alteri accidere competit, cum tamen conveniat omni qualitati, vt discurrenti per singulas constabit. Vnde qualitas in communi sic poterit quidditative definiri. *Qualitas est accidens dispositivum substantiæ in se ipsa.*

17 Est autem ad advertendum, eundem D. Tho. 1. 2. q. 49. ar. 2. hunc modum intrinsecum, per quem accidens contrahitur ad esse qualitatis in communi alijs verbis explicuisse: ait enim, consistere rationem qualitatis in hoc, quod est, *esse accidens modificativum substantiæ.* Tamen (vt adverterunt recentiores) hic modus loquendi D. Thom. in re non est diversus à priori, sed cum ipso coincidens.

18 Pro quo optimè advertat, modum sumi multipliciter. Primò late, scilicet pro omni accidenti; ac quocumque enim frequenter dici solet, quod modificat substantiã. Secundo solet restringi ad quædam accidentia, quæ licet vera sint entia completa, sunt tamè minime, & imperfectæ entitatis. In quo sensu figuræ, relationes, & sex ultima prædicamèta solent appellari modi. Tertio sumi solet propriè, & strictè, scilicet pro quibusdam entitatibus non solùm imperfectis, sed etiã incompletis; quæ eo ipso non constituunt aliquod genus, neque speciem, nec sunt veræ partes, sed purè modificationes entium ad eorum prædicamentum pertinètes, vt

finitas, existentia, intensio, &c. Modificare ergo in his tribus sensibus nõ est esse actus formalis qualitatis, quæ ponitur genus generalissimũ huius prædicamèti, vt de se patet; neque in hoc sensu intelligendus est Angelicus Doctor.

19 Quarto, & ultimò modus specialiter sumitur pro dispositione, seu ordinata determinatione. Quæ acceptio (vt norant citati recentiores) meliùs, & significantiùs exprimitur secundu phrasim Hispanicã, *no tiene modo*, id est, in his, quæ agit, vel dicit, nõ habet dispositionem. Et in hoc sensu sumitur modus à D. Th. Quæ ratione manifestu est id, quod dicebamus, scilicet modum coincidere cù dispositione. Imò significantiùs eã exprimere, & consequenter non esse diversam sententiã D. Th. in hoc ultimo loco ab ea, quam tradidit in priori. Vnde iuxta hunc ultimum modum loquendi D. Th. potest etiã qualitas in communi sic quidditative, aut quasi quidditative definiri. *Qualitas est accidens imponens modum, seu determinationem substantiæ.*

QVÆSTIO II.

Vtrum divisio qualitatis tradita ab Arist. sit exacta?

1 Explicuimus questione præcedenti, in quo essentia qualitatis, quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, consistat, explicandum sequitur; an di-

Nu viso,

visio, qua prædictam qualitatem in quatuor membra divisit Arist. scilicet in habitum, seu dispositionem; in naturalem potentiam, seu impotentiam; in passionem, seu passibilem qualitatem; & in formam, seu figuram, sit exacta?

2 Et ratio dubitandi est, quia ex duplici capite potest provenire, quod aliqua divisio non sit exacta, scilicet, vel quia aliqua res continetur sub membris dividētibus, de quibus non prædicatur divisum; vel quia aliqua sunt res, de quibus prædicatur divisum, quæ sub membris dividētibus non continētur. Et ex utroque capite videtur hæc divisio qualitatis non esse exacta.

3 Ex primò, quia habitus speciale prædicamentum constituitur dicitur. Dispositio etiam ad sitam pertinet; nam sedere, vel stare quædam corporis dispositiones sunt. Quod si dispositio comparativè dicatur, qua ratione una res ad aliam disponere dicitur; quantitas etiam erit dispositio, cum materiam ad recipiendam formam disponat, tam substantiales, quam accidentales.

4 Rursus potentia, si sumatur pro potentia passiva, indifferens est ad substantiam, quantitatem, &c. Imò multi censent divagari per omnia prædicamenta, ita ut in unoquoque sit propria potentia passiva proprio actui correspondens. Si verò sumatur pro vi agendi, etiam substantia per se est potentia, & vis agendi.

5 Præterea passio proprium prædicamentum constituit distinctum à qualitate. Quod si non sumatur pro relatione extrinsecus advenienti quæ est, quæ constituit proprium prædicamentum passionis, sed pro entitate, quæ sit cum aliqua passione, substantia, quantitas, & ubi passionis erūt; quia per physicas passiones fiūt. Quid verò addat passibilis qualitas supra communem rationem qualitatis, difficillimum est. Nec minus occultum, quid in quarto membro significetur nomine formæ: cum hæc vox communis sit non solum omni qualitati, sed etiam omni accidenti; imò substantijs partialibus, quæ simul cum materia componunt totum substantiale. Et denique figura, cum solum sit quidam terminus quantitatis, & modus eius, ad quantitatem reducendam esse videtur, & non inter qualitates enumerandam.

6 Ex 2. cap. etiam videtur hæc divisio non exacta; quia actus immanentes, ut sunt cognitio, volitio, & c. qualitates sunt; & tamen sub nullo horum membrorum videtur comprehendisse. Et idem est iudicium de speciebus intentionalibus, & de raritate, & densitate, de lenitate, & asperitate.

7 Dicendum nihilominus est, divisionem qualitatis in prædicta quatuor membra traditam ab Arist. exactam, & sufficientissimam esse. Hæc est communis sententia interpretum Arist. qui, ut Aristotelicam, & consequenter, ut optimam eam recipiunt; quaque tenet Scot. q. 36. prædic. §. *Ad aliam questionem potest dici.*

8 Neque obstat id, quod nobis obijciunt Boet. & Simplic. scilicet Aristotelē post enumerationē horū mēbrorū subiecisse hæc verba. *Atq; forsā quidem, & alius quispiam qualitatis modus videbitur esse. Qui tamen maxime dici solent bi fere sunt.* Respondetur enim hæc verba non subiecisse Philosophum, quia existimaverit, plures esse modos, seu species qualitatis: (aliās quo modo posset excusari ab insufficienti qualitatis partitione?) sed methodicæ causa, & ut ostenderet, amplissimi generis qualitatis se non tam positivè demonstrasse omnes modos, quàm negat vè eò, quòd plures nō inveniunt. Quòd si nos addamus, etiam post Arist. nullum alium esse inventum, vrgens argumentum erit ad probandum divisionem istam, esse sufficientem.

9 Et quamvis plures rationes huius sufficientiæ adduci soleant, quas latè adducit, & expēdit Suarez 2. to. Metaph. disp. 42. sect. 5. sufficiat nobis, quā assignat Scotus qu. 36. predicamentali citata §. *Ad omnes istas, ver. Sic puta,* quæ non solum discurrit per divisum sub nomine dispositionis sumptū, quæ est, in qua ratio essentialis qualitatis cōsistit, ut ex dictis questione præcedenti patet, sed etiam per differentias oppositas, & immediatas, quæ sunt, per quas debet omnis exacta divisio declarari. Ratio verò Scoti talis est. Qualitas (ut ex dictis q. præced. con-

stat) est dispositio substantiæ in se ipsa; aut ergo hæc dispositio est interior, aut exterior? Si exterior, aut non primò sensibilis? & sic est quarta species, quæ dicitur forma, seu figura: aut primò sensibilis? & sic est tertia species, quæ dicitur passio, seu passibilis qualitas. Si dispositio interior; aut est innatū principiū operandi faciliter, aut difficiliter? & sic est secunda species, quæ dicitur potētia, seu impotentia: aut nō est innatū principiū operandi? & sic est prima species, quæ dicitur habitus, seu dispositio. Sed præter has non potest assignari alia dispositio substantiæ in se ipsa: ergo exactè, & sufficienter divisa est qualitas in communi in ista quatuor membra.

10 Sed obijcies Arist. in litera enumerat calorē, & frigus inter qualitates primi mēbri, scilicet inter habitus, & dispositiones. Sed calor, & frigus sunt qualitates exteriores per se primò sensibiles: ergo nō exactè à Scoto assignata est ratio huius sufficientiæ. Respondetur ex Alberto, Alexandro, Simplicio, & alijs interpretibus, Arist. nō enumerasse inter qualitates primi mēbri calorem, & frigus, quia existimaverit pertinere ad illud membrum; sed ut ostenderet per quandam analogiam ad res sensibiles, ut sunt calor, & frigus, quomodo internæ, & insensibiles qualitates, scilicet habitus, & dispositiones, sint dispositiones potentiariū animæ, & cōsequēter illarū qualitates

11 Ad rationes adductas ex primo capite contra sufficiētiam huius divisionis respondetur, omnes illas fundari in æquivocatione nominum, quibus illa membra significantur; nam illa nomina habent plures, & diversas acceptiones; & secundum aliquas non sunt qualitates; bene tamen secundum alias. Vnde declarata æquivocatione (quod fiet in vltima quæst.) constabit, qua ratione omnia illa veræ qualitates sint.

12 Ad rationes adductas ex secundo capite ad idem probandum respondetur, falsum esse, dari aliquas qualitates, quæ sub his quatuor mēbris non contineantur; nā operationes immanentes, (quæ secundum Scotum sunt qualitates, & non actiones, vt aliqui Thomistæ autumant) cum sint qualitates interiores, pertinebunt utique ad vnum ex duobus prioribus membris; & cum non sint innatum principium faciliter operandi, sed illud supponant, spectabunt utique ad primum membrum, & sic dicentur habitus, seu dispositiones. Idē est iudicium de speciebus intentionalibus.

13 Raritatē autē, & dēsiratē, atq; lenitatē, & asperitatē dicunt aliqui, spectare ad quartam speciem, seu modum huius divisionis, scilicet ad formā, seu figurā; nam, præterquam, quod Arist. 7. Phys. c. 2. & cum ipso Commentator Averroes docent, esse qualitates, & alias non apparet modus

qualitatis, ad quē reduci possint; præter hūc, probari potest à priori. Nam sunt dispositiones, seu determinationes substantiæ in se ipsa, exteriores, & nō primò, sed secundò per se sensibiles; qui est modus, per quem cōstituitur quartus modus qualitatis, & distinguitur ab alijs. Sed quamvis hoc totū verum sit, tamen existimo, raritatē, & densitatē, &c. hoc solū dicere materialiter sumpta; formaliter verò consistere in diversa positione partium quantitatum dicentium aeternalem ordinem ad locū; ac per consequens formaliter considerata non esse qualitates, sed spectare ad prædicamentum *status*, vt expressè docuit Arist. in hoc cap. & in simili philosophatus est Doctor Subtilis in 1. d. 17. q. 2. lit. O. & quolib. 18. lit. I. non solū de pulchritudine, sed etiam de pluribus alijs qualitativibus, quæ materialiter consideratæ spectant ad quartam speciem, seu modum qualitatis.

14 Ex his, quæ diximus manifestè patet, quid respondendum sit ad duo dubia, quæ in præfenti exagitari solent. Primum est; an ista qualitatis divisio sit immediata? Secundum; vtrum re et ordinaverit Philosophus ista membra appellando primam speciem, seu modum habitum, seu dispositionem; secundam naturalem potentiam, seu impotentiam, &c. Respondetur enim ad primum cū Scoto loco citato §. *Ad omnes istas. ver. secundum hanc viā,*

non

non esse immediatam; quia (vt visum est) immediatè dividitur qualitas in communi in dispositionē, seu qualitatem exteriorē, & interiorē. Esse tamen proximiorē huic primæ, seu immediatæ divisioni. Nam (vt dictum est) qualitas, seu dispositio exterior immediatè dividitur in dispositionem *non primò sensibilem*; quæ est forma, seu figura; & in dispositionem *primò sensibilem*, quæ est passio, seu passibilis qualitas; & qualitas, seu dispositio interior in dispositionem, quæ est innatum principium operandi faciliter, vel difficulter, quæ est potentia, seu impotentia; & in dispositionem, quæ non est innatum principium operandi, quæ est habitus, seu dispositio.

15 Ad secundum respondendum est, dupliciter posse istas quatuor species considerari. Primò Physicè, & quoad suam generationem. Secundò Logicè, & propter rationem superioris induunt; in quo sensu illa, quæ est communior, dicitur prior, sicuti in priori sensu dicitur prior illa, quæ priùs habet esse. Si secundo modo considerentur, (vt hic considerantur ab Aristot.) dicendum est, rectè ab ipso fuisse ordinatas. Ita Scotus §. *Ad argumenta sexta questionis*. Ec, præter auctoritatem Arist. probari potest; quia in hoc sensu illa species qualitatis dicitur prior, quæ est superior. Sed habitus, seu dispositio

est superior, quàm naturalis potentia; & hæc, quàm passio; atque ista, quàm forma: ergo, &c. Minorem probat Scotus loco citato in solutione secūdi; quia illa species qualitatis dicitur superior alia, quæ minus addit supra rationem communem qualitatis. Sed secunda addit rationem naturalis potentia, quam non includit prima; & tertia rationē exterioris, quam non includit secunda; & quarta rationem *non sensibilem primò*, quam non includit tertia: ergo prima est superior, quàm secūda; & secūda, quàm tertia; & tertia, quàm quarta.

16 Si verò considerentur primo modo, dicendum est cum Scoto loco citato, neque in isto sensu ordinatas fuisse ab Aristot. nec bene ordinari, sicut ab ipso hic enumeratæ sunt; sed potius ordinandas esse ordine opposito, ita vt forma, seu figura sit prior, & ultima habitus, seu dispositio. Et probari potest. Primò ex Aristot. qui 5. Met. vbi consideravit istas species primo modo, primam speciē appellavit formā, seu figurā; secundam, passionē, seu passibilem qualitatem, tertiam, naturalem potētiam, seu impotentiam; & quartam, habitum, seu dispositionem.

17 Secundò probatur, quia in primo sensu illæ qualitates dicuntur priores, quæ antecedunt alias via generationis. Sed forma, seu figura via generationis antecedit omnes alias: & inter interiores naturalis potētia antecedit habi-

tum, seu dispositionem: ergo, &c. Minorem probat Scotus §. *Iuxta hoc queritur*, quia inter omnia accidentia quantitas primò in hæret substantiæ: ergo illæ qualitates, quæ immediatè consequuntur quantitatem, erunt priores via generationis. Tales sunt formæ, seu figuræ: ergo, &c. Item, secundùm Aristot. 3. Topic. prius est illud, quod est à natura, quàm id, quod à natura non est. Sed naturalis potentia est à natura; habitus autem, seu dispositio non sunt à natura: ergo, via generationis prior est naturalis potentia, quàm habitus, seu dispositio.

QVÆSTIO III.

Utrum hæc divisio qualitatis sit generis in species?

Prima sententia affirmat, hæc divisionem esse generis in species. Ita D. Tho. 1. 2. q. 49. art. 2. quem omnes eius interpretes secuntur. Fundamentum est, quia communis conceptus qualitatis (qui est divisum) univocè, & in eo, quod quid prædicatur de membris dividendis; & in super membra dividenda specie differunt: ergo divisio conceptus qualitatis in hæc membra erit generis in species. Consequentia videtur legitima. Antecedens patet quoad utrâque partem; nam in primis nullus negare potest, has prædicationes esse univocas, & in eo quod quid,

habitus est qualitas, naturalis potentia est qualitas, &c. Et in super habitus à naturali potentia, & hæc à passione, vel figura videntur specie differre; cum hæc omnia habeant rationes formales diversas; quæ sunt, unde desumitur specifica differentia.

2. Secunda sententia affirmat, hanc divisionem esse divisionem in varios modos accidentales illius, siue (quod idem est) subiecti in accidentia. Ita Scotus in 4. d. 6. q. 10. & in prædicamentis qu. 36. quem secuntur Scotistæ. Quam probat. Primò ex Arist. qui in hoc capite appellat hanc divisionem qualitatis in diversos modos; nam antequam faceret hanc divisionem, dixit, qualitatem esse eorum, quæ multipliciter, id est, quæ multis modis dicuntur; & in fine his iam enumeratis subdit: *Fortassis quidem igitur alius quispiam modus apparebit qualitatis; sed fere, qui maximè dicuntur hi sunt.*

3. Neque obstat, (inquit Scot.) quod hæc membra, quæ hîc appellat modos qualitatis, paulò superius appellauerit genera, seu species; nam pro genere intelligendus est modus generalis, & pro specie specialis modus. Neque hoc (ait Scotus) est inferre vim textui; quia intermedia semper sunt explicanda secundùm ea, quæ ponuntur in proœmio, & in epitogo.

4. Secundò probat Scot. hanc sententiam ista ratione. Si hæc divisio esset generis in species, membra-

bra dividenda necessario dividantur in divisum, vel immediate, sicut corporeum, & incorporeum dividunt substantiam; vel unum mediante alio, sicut corpus, vivens, animal, &c. dividunt substantiam. Sed hæc membra non dividunt qualitatem uno mediante alio; alias essent essentialiter subordinata, & unum prædicaretur de alio, sicut corpus prædicatur de viventi, & vivens de animali, quod non contingit in his membris. Neque etiam dividunt qualitatem immediate; quia unius generis supremi tantum sunt duæ species immediate ipsam dividentes; quia (vt docet Arist. 10, Met. tex. comm. 13.) divisio immediata unius generis solum fit per differentias oppositas immediate, quæ secundum ipsum ibidem solum esse possunt duæ; nam unum tantum uni immediate opponitur; membra autem huius divisionis non sunt duo, sed quatuor: ergo dicendum est, hanc divisionem non esse generis in species.

5 Tertiò probatur eadem sententia ab Scoto: differentia essentialis constituentes diversas qualitates non possunt eidem qualitati secundum essentiam convenire. Sed eadè qualitas secundum essentiam potest esse radicata in subiecto, ac per consequens denominari habitus; & similiter esse principium naturale faciliter operandi, ac per consequens denominari potentia: & denique esse per

se obiectum sensus, & consequenter denominari passio, seu passibilis qualitas: ergo quòd qualitas sit radicata in subiecto, vel quòd sit naturale principium faciliter operandi, vel quòd sit per se obiectum sensus, non sunt differentia essentialiter constituentes diversas species qualitatis; ac per consequens, neque divisio qualitatis in hæc tria membra erit generis in diversas species qualitatis.

6 Tertia sententia est, quam tenet idem Scotus in fine prædictæ quæstionis; quæ tria affirmat. Primum est, hanc divisionem esse generis in diversas species.

7 Secundum est, quòd etiam si sit generis in species, non tamen ab Arist. est assignata per differentias essentialis, & intrinsecè constituentes prædictas species; eò quòd istæ differentia sunt nobis ignotæ, sed per modos accidentales; naturaliter tamen consequentes differentias essentialis, & ita naturaliter, vt vnus non possit dici de alio, nec duo de aliquo eodem: sicut neque dicerentur differentia essentialis harum specierum, si à nobis assignari possent.

8 Tertium est, ad hoc, vt hi modi accidentales, quibus distinguuntur hæc species loco differentiarum essentialium, & quidditativarum earum, habeant condiciones assignatas, debent sumi semper cum præcisione posteriorum, v. g. ad hoc, vt aliqua qualitas habeat rationem habitus, vel dispositiois (que

est prima species ex enumeratis) non sufficit, quod sit faciliter, vel difficiliter mobilis à subiecto, sed etiam requiritur, quod præscindat, & habeat negationem differentiarum, seu modorum reliquarum specierum subsequētium, scilicet quod non sit principium innatum faciliter, vel difficulter operandi, neq; qualitas exterior primariò, vel secundariò sensibilis. Et similiter ad hoc, vt aliqua qualitas sit potentia, vel impotentia non sufficit, quod sit principium innatum faciliter, vel difficulter operandi, sed etiam requiritur, quod non sit qualitas exterior primariò, vel secundariò sensibilis; nam, si est qualitas exterior, & sensibilis per se primariò, pertinebit ad tertiam speciem, etiam si sit principium innatum faciliter, vel difficiliter operandi; & non ad secundam, sicut de facto contingit in calore, in frigore, & in alijs pluribus.

9. Hæc tertia sententia videtur mihi probabilior, & sequenda. Tum quia in eam magis inclinatur Scotus. Tum etiam, quia rationes adductæ pro prima, & secunda sententia adeò distant, vt in ipsam sint, quod potius ipsam confirmant. Nam ratio adducta pro prima sententia confirmat primū assertum. Dæ verò rationes prioris adductæ pro secunda sententia confirmant secundum assertū. Et denique ratio vltima adducta pro secunda sententia, quæ vide-

batur esse contra secundum assertum, confirmat tertium, in quo dicimus, non esse modum naturaliter consequentem differentiã essentialem constitutivam primæ speciei qualitatis, esse qualitatem faciliter, vel difficulter mobilem à subiecto, nisi cum præscissione, & negatione omnium modorum aliarum specierum subsequētium: aliàs (vt argumentum probat) in eadem qualitate secundam essentialiter essent plures differentiæ essentialiter constituentes diversas species qualitatis, siue (quod idem est) diversi modi illas naturaliter consequentes. Quod non poterit contingere, si modi priorum specierum ad hoc, vt habeant conditiones requisitas in secundo asserto, debeat semper includere præscissionem, seu negationem modorum posteriorū specierum.

QVÆSTIO III.

De qualitate in speciali.

1. **V**iso iam de qualitate in cōmuni, videndum restat de qualitate in speciali, hoc est, de modis, seu speciebus, in quas Aristot. divisit qualitatem, scilicet de habitu, seu dispositione, de naturali potentia, seu impotentia, de passione, seu passibili qualitate, & de forma, seu figura.

SECTIO PRIMA.

De habitu, seu dispositione.

DE habitu, seu dispositione præcipuè dabitati solet, in qua acceptione spectent ad primam speciem qualitatis? Et ratio dubitandi est, quia tam habitus, quam dispositio plures habet acceptiones. (vt advertit Scot. q. 36. prædicamentali, §. *Ad secundam questionem*). Cum enim habitus dicatur ab *habendo*, tot modis dicitur habitus, quor. dici solet *habere*.

3 In primis sumitur *habere* pro possidere quocumque modo, siue per inhaerentiam; vt cum quis dicitur habere scientiam, habere quantitatem, &c. siue per relationem; vt cum quis dicitur habere pecunias, habere amicos, &c. Et in hac acceptione, sicut *habere* non est alicuius determinati prædicamenti, sed sequitur ad omnia, ideoque ab Aristotele. in capite ultimo huius libri inter postprædicamenta collocatur, ita *habitus* illi correspondens non est alicuius determinati prædicamenti, sed per omnia divagatur. Significat enim quamcumque formam positivam, quæ haberi, seu possideri potest. In qua acceptione sumpsit *habitus* Aristoteles capite de Oppositis, cum dicit, oppositionem priva-

tivam esse inter habitum, & eius privationem.

4 Secundò sumitur *habere*, seu *habitus* magis strictè, scilicet pro habitudine illa significata per modum actionis, & passionis, quæ est inter habentem, & rem habitam, ratione cuius armati, aut vestiti esse dicimur: qui enim domi habet arma, non dicitur *habere* hoc modo, sed primo. Et *habitus* in hac secunda acceptione cõstituit speciale quoddam prædicamentum, quod dicitur *habitus*, vt infra dicam.

5 Tertiò sumitur habitus pro forma accidentali difficilè mobili à subiecto, quæ non est forma exterior, sed interior; neque innatum principium faciliter, vel difficiliter operandi; disponit tamen substantiam, (sumpta dispositione in eo sensu, quo q. 1. diximus, dispositionem esse modum intrinsecum contrahentem accidens ad hoc prædicamentum) vt bene, vel malè se habeat, aut secundu[m] se, aut ad aliud. Quia ratione sumpsit *habitus* Arist. cum 5. Metaph. c. 2. dixit: *Habitus est dispositio, secundum quam bene, vel malè disponitur dispositum, aut secundum se, aut ad aliud.*

6 Similiter dispositio præter duas acceptiones relatas in quaestione 1. huius disputationis n. 14. in quarum prima diximus, nomen, *dispositio*, spectare ad prædicamentum *status*, & in secunda cõstituere rationem communem,

& genericam huius prædicamenti qualitatis, (in qua acceptione, teste Doctore Subtili loco citato §. *Ad secundam questionem*, vers. *Dispositio autem*, sumpta est dispositio ab Arist. in definitione *habitus* nuper tradita) accipitur tertio pro forma accidentali faciliè mobili à subiecto; quæ non est forma exterior, sed interior; neque innatum principium faciliè, vel difficiliter operandi: disponit tamen substantiam, (sumpta dispositione ut supra) ut benè, vel malè se habeat, aut secundum se, aut ad aliud. Qua ratione dispositio idè est, quòd habitus in ultima acceptione sumptus; & solùm differt ab illo; quia habitus est difficilè mobilis à subiecto; dispositio verò faciliè. Vnde sub definitione habitus tradita ab Arist. comprehensa etiam est dispositio.

7 His suppositis ad dubitationem propositam responderetur, habitum, & dispositionem solùm secundum ultimas acceptiones (secundum quas diximus, esse idem, & solùm differre inter se penès faciliè, & difficilè mobile à subiecto) constituere primam speciem qualitatis, non verò secundum alias; quia (ut ex dictis in ipsarum declaratione constat) habitus, & dispositio in alijs acceptionibus, vel sunt quid transcendente ad omnia prædicamenta, vel speciale aliud prædicamentum, vel ratio communis, & generalissima huius prædicamenti.

8 Et ex his solvi potest aliud dubium, quod hinc molestè satis exagitari solet ab aliquibus; vtrū scilicet habitus, & dispositio differant in ratione qualitatis essentialiter? an tantum accidentaliter? Respondetur enim solùm differre accidentaliter. Et sermo est de habitu, & dispositione formaliter sumptis, id est, in quantum induunt rationem faciliè, vel difficilè mobilis: nam ex alijs capitibus, videlicet quia qualitas, quæ dicitur habitus, versetur circa diversum obiectum ab illo, circa quòd versatur qualitas, quæ dicitur dispositio; seu quia qualitas, quæ dicitur habitus, induit rationem principij, & actus primi; qualitas verò, quæ denominatur dispositio induit rationem operationis, & actus secundi, non dubito, habitum, & dispositionem posse in ratione qualitatis essentialiter differre, sicuti & possunt duo habitus, seu duæ dispositiones.

9 Hæc est sententia Scoti q. 26. prædicamentali citata §. *Ad secundam questionem*, & in 2. d. 3. q. 10. §. *Ad questionem* lit. F. quem non solùm discipuli, sed etiam ex alijs sequuntur Vazq. 1. 2. disput. 78. cap. 3. Salas ibidem q. 52. disp. 5. sect. 1. & plures alij. Estq; expressa Angelici Doctoris q. 7. de malo ar. 2. ad 4. Sed quia 1. 2. quæst. 49. artic. 2. oppositum sustinet, ideo adversarij docent, hoc posteriori loco, quod dixerat in quæst. 7. de

de malo retractasse.

10 Sed, quidquid sit de hoc, probari potest. Primò, quia nulla species propter diurnitatem temporis, aut aliquid aliud simile extrinsecum potest transire in aliam essentialiter distinctam. Sed ex Arist. in hoc capite sola diurnitas temporis facit, ut, quod antea erat dispositio, modò sit habitus: ergo signum est, habitum, & dispositionem in ratione qualitatis non esse essentialiter distincta.

11 Secundò probari potest, quia (ut benè arguit Scotus) eadè differentia nò possunt differre species diversorum generù. Sed per facile, & difficile mobile differunt, (teste Arist. in hoc cap.) nò solùm habitus, & dispositio, sed etiam passio, & passibilis qualitas, quæ sunt species diversorum generù, seu specierum subalternarù. qualitatis: ergo facile mobile, & difficile mobile à subiecto. (quæ sunt differentie, per quas differunt habitus, & dispositio) formaliter, & in ratione habitus, & dispositionis non sunt differentie essentialiter diversificantes habitum, & dispositionem in ratione qualitatis.

12 Tertiò, (& est ratio à priori) quia facile, vel difficile mobile à subiecto non sunt differentie per se spectantes ad prædicamentum qualitatis, cum pertineant ad motum, qui quidè consequens plura prædicamenta est, & ideo ab Aristot. inter postprædicamenta numeratur: ergo per facile, & diffi-

cile mobile à subiecto non possunt habitus, & dispositio per se, & essentialiter differre in ratione qualitatis.

13 Respondent Authores oppositæ sententiæ, (videlicet Caiet. & Conradus super locum 1. 2. D. Tho. citatum, Suarez in Metaph. disput. 42 sect. 6. Montescinos 1. 2. disp. 30. n. 27. Lorca ibid. sect. 3. disp. 1. & plures alij. quos referunt, & secuntur Gallego, controu. 28. & Carus Carmel. disput. 15. q. 3.) quòd etsi facile, & difficile mobile non sint per se differentie qualitatis, sed per accidens; tamen, quando ex natura sua convenit alicui qualitati, quòd sit facile mobile, optimè inferitur, tanquam ex signo, talem qualitatem differre essentialiter in ratione qualitatis ab illa qualitate, cui natura sua competit, esse difficile mobile à subiecto. Et hoc contingit (inquiunt) in proposito; nam, cum habitus natura sua sit difficile mobile à subiecto; & dispositio natura sua sit facile mobile, hinc optimè inferitur, tanquam ex signo, habitum, & dispositionem esse qualitates essentialiter diversas.

34 Sed Authores isti petunt principium; supponunt enim, inter qualitates interiores, quæ non sunt innatum principium faciliter, vel difficiliter operandi, illam solùm induere rationem habitus, quæ natura sua est difficile mobile à subiecto; cum tamen in hoc versetur præsens controversia: fatemur.

temur enim libenter, inter qualitates interiores, quæ non sunt innatum principium faciliter, vel difficiliter operandi, illam, quæ natura sua est difficilè mobilis, esse distinctam in specie ab illa, quæ natura sua est facilè mobilis: (dummodò aliàs sint entia completa) sed negamus, ad rationem habitus, vt hic ab Aristot. distinguitur à dispositione, requiri, quòd natura sua sit qualitas difficilè mobilis à subiecto; & è contra ad rationem dispositionis, vt hic ab Aristot. distinguitur contra habitum requiri, quòd natura sua sit qualitas facilè mobilis à subiecto; sed sufficere, quòd hoc eis contingat per accidens, ac per consequens differentiam hic assignatam ab Aristot. inter habitum, & dispositionem, non esse essentialem in ratione qualitatis, sed accidentalem: idque manifestè convincunt duæ priores rationes adductæ pro nostra sententia.

15 Et præterea modò confirmari potest manifestis instantijs, supponendo prius, quid requiratur ab his authoribus ad hoc, vt aliqua ex his qualitatibus dicatur natura sua difficilè, vel facilè mobilis: non enim apud ipsos est vnanimis consensus. Suarez requirit ad hoc, vt dicatur natura sua facilè mobilis, quòd non solum in fieri, sed etiam in conservari pendeat ab influxu actuali potentie. Vt autem natura sua dica-

cur difficilè mobilis requiritur secundum ipsum Suarez, quòd etiam si in fieri pendeat ab influxu potentie, non tamen in conservari.

16 Iuxta hunc ergo modum philosophandi probat nostrum intentum instantia specierum intentionaliu sensuum exterioru, quæ cum non solum in fieri, sed etiam in conservari pendeant ab actuali influxu obiecti, dicendæ sunt natura sua facilè mobiles à subiecto; & tamen species intentionales non inter dispositiones, sed inter habitus numerantur à Suarez. Item probat nostrum intentum instantia qualitatis acquiretæ per vnum, aut duos actus scientificos circa idem obiectum, quæ, cum transactis actibus aliquandiu duret, inter qualitates, quæ solum in fieri pendent ab actuali influxu potentie numerari debet Et consequenter inter illas, quæ natura sua sunt difficilè mobiles à subiecto; & tamen communi consensu Philosophorum, & Theologorum non inter habitus, sed inter dispositiones numeratur.

17 Alij requirunt ad hoc, vt dicatur qualitas natura sua difficilè mobilis, quòd causa, à qua provenit sit immobilis, & invariabilis, vt contingit in scientijs, quarum principia sunt necessaria, & invariabilia. Vt autem dicatur natura sua facilè mobilis requirunt isti, quòd causa, à qua profluit, sit variabilis, vt contingit in opi-

opinionibus, & erroribus, quorum principia non sunt necessaria, sed mirabilia, & variabilia.

18 Et iuxta hunc modum philosophandi probant nostrum intentum instantiæ qualitarum acquiratarum per actus scientificos, & opinativos; quarum priores naturæ sunt difficilè mobiles; & tamen, quando solum sunt acquiratæ vno, vel duobus actibus, dicuntur non habitus, sed dispositiones. Posteriores verò natura sua sunt facilè mobiles; & tamen, si sint pluribus actibus acquiratæ, non dispositiones, sed habitus opinativi nuncupantur. Falsum ergo est, quod assumunt adversarii in fundamentum suæ sententiæ, scilicet solum dici habitum qualitatem, quæ natura sua est difficilè mobilis à subiecto, dispositionem verò qualitatem, quæ natura sua est facilè mobilis.

SECTIO II.

De potentia, & impotentia.

19 **D**E naturali potentia, & impotentia, sicuti & de habitu, & dispositione, primò dubitari potest, in qua acceptione constituentur secundam speciem, seu modum qualitatis? Et ratio dubitandi est, quia hoc nomen *potentia*, etiam multipliciter sumi potest. Primò enim sumitur potentia pro non repugnantia extremorum; quæ dicitur potentia Logica; quia so-

lùm hæc non repugnantia extremorum concipitur in ordine ad mentis compositionem, & divisionem: quod proprium est Logici instituti. Et hoc pacto manifestum est, potentiam non constituisse secundam speciem qualitatis; quia non solum est quid transcendens per omnia prædicamenta, sed etiam consistit in negatione, & nõ in entitate positiva, in qua debet consistere quicquid habet rationem qualitatis.

20 Secundò sumitur potentia pro vi innata, & facultate agendi, vel recipiendi. Et hoc etiam pacto certum etiam debet esse, (quidquid afferat aliqui Thomistæ) potentiam non constituere secundam speciem qualitatis: quia potentia, ut sic, non solum dicitur de qualitatibus tertiæ speciei, v. g. de calore, frigore, &c. sed etiam de substantijs; nam in formis substantialibus, imò & in ipso Deo est formaliter potentia activa; & in materia potentia receptiva, seu passiva. Item, in hoc sensu intellectus, & voluntas dicuntur potentia animæ; & tamen, cum ex sententia Scoti, sint idem realiter cum anima, non possunt ad prædicamentam qualitatis pertinere, (ut expresse ipse docuit in 2. d. 16. q. unica) sed collocantur reductivè in prædicamento substantiæ; quod est, ubi collocatur anima.

21 Tertiò accipitur potentia naturalis; non pro ipsa virtute, & vi naturali agendi, vel recipiendi,

sed

sed pro agilitate à natura existente in his virtutibus ad agendum, vel recipiendum. Et in hoc sensu dicimus cum Doctore Subtili in 2. d. & quæst. citata, potentiam naturalem, seu impotentiã constituere secundam speciem, seu modum qualitatis. Et quòd hoc sit verum patet exemplis adductis ab Arist. ad probandum, dari prædictum genus qualitatis, depuglatoribus, & cursoribus: qui non ideo dixit denominari tales, quia habent virtutem, seu facultatem ad currendum, seu pugnandum; sed quia habent virtutem ad hoc facilem, & expeditam. Et idem docuit de salubribus, & in salubribus; de duritie, & molitie.

22 Sed obijciunt nobis adversarij. Habitus est qualitas interior tribuens facultatibus, & virtutibus agendi, in quibus est, facilitatẽ, & expeditionem ad agendum: ergo, si hoc idẽ præstat naturalis potẽtia, sequitur, quòd non sint species qualitatis distinctæ. Respondetur, habitum quidẽ, qui ponitur inter qualitates primæ speciei, & naturalem potentiã, quæ ponitur inter qualitates secundæ, convenire in hoc, quòd utraq; est qualitas interior tribuens facilitatem, & expeditionẽ virtutibus, & facultatibus agendi; differre tamen inter se, & propter hoc constituere diversas species qualitatis, (etiam quando versantur circa idẽ obiectum) quòd potentia naturalis est facilitas, seu expeditio harum virtu-

tum, & facultatũ innata, & primò eis à natura conveniens. At habitus non est facilitas, seu expeditio harum facultatum, seu virtutum innata, & eis primò à natura conveniens, sed earum à seibus acquisita, vel à Deo infusa.

23 Secundò dubitari potest, quò pacto differant naturalis potentia, & naturalis impotentia? Sunt qui existimant differre essentialiter in ratione qualitatis; & sic duas species constituere, adhuc cum versantur circa idẽ formale obiectum. Fundamentum esse potest; quia potentia, & impotentia videntur significere rationes formales qualitatis oppositas; quæ ideo non poterunt ad eãdem speciem pertinere.

24 Sed vera, & communis sententia fert oppositum, scilicet potentiam, & impotentiã solum accidentaliter differre, ac per consequens ad eãdem speciem qualitatis, quoties versantur circa idẽ formale obiectum, pertinere. Ita Scot. q. 36. prædicamentali 6. *Ad aliam quæstionem*, Suar. disp. 42. sect. 4. n. 13. & communiter recentiores. Et ratio efficax (quæ simul est solutio rationis in cõtrarium) est; quia (vt ex litera huius capituli constat) Arist. non sumpsit impotentiam pro negatione potentia. Sed pro potentia ad faciendũ aliquid imbecilliter. Hoc enim supposito, manifestè patet, solum esse qualitates accidentaliter diversas naturalem potentiã, & naturalem impo-

impotentiam. Quia potentia naturalis ad faciendum aliquid perfecte, & potentia naturalis ad idem faciendum imbecilliter solum accidentaliter differunt, ut manifestum est.

SECTIO III.

De passione, & passibili qualitate.

25 **D**E passione, & passibili qualitate primò dubitari solet in qua acceptione spectent ad hanc tertiam speciem? Et ratio dubitandi est, quia etiã hoc nomen *passio* plures habet acceptiones, ut ex Arist. 5. Met. cap. 21. colligit Scot. q. 36. prædicamentali. §. *Ad questionē*. Primò enim accipitur pro quacumque proprietate consequente essentiam. In qua acceptione risibile, & flebile passiones hominis dici solent.

26 Secundò pro relatione extrinsecus adveniēti, quæ ex receptione alicuius forme resultat inter recipientem, & producentem talē formam. Quæ adhuc triplex est; eò quòd receptio forme, ex qua resultat, est in triplici differentia; nam alia est receptio forme sine abiectione contrariæ: in quo sensu intellectu recipiens specie intelligibilem dicitur patiens; & idem est iudiciū de sensu recipiente specie sensibilem ab obiecto. Quæ passiones appellari possunt intentionales. Alia verò est receptio

forme cum abiectione contrariæ: & si forma recepta est conveniēs subiecto, & abiecta disconveniēs, dicitur passio perfecta. Si verò è contrario cōtingat, dicitur passio corruptiva.

27 Tertiò accipitur *passio* pro passionibus animæ, ut sunt amor, odium, gaudium, spes, timor, ira, audacia, tristitia, dolor, delectatio, &c. Quæ sic dicuntur, quia causantur in anima cū aliqua passione, & alteratione corporali; & formali consistunt, vel in operationibus potentie appetitive, vel in quodam accidenti concomitante, seu consequente actus appetitive, & cognoscitive potentie; (ut de delectatione, tristitia, & dolore tenet noster Scot. in 3. d. 15. §. *Potest dici*, & in 4. d. 49. q. 7. & alibi) pro materiali verò, seu connotato in prædicta passione, seu alteratione, cum qua causantur. Ex quo fit, quòd dupliciter describatur: pro materiali; ut cum dicimus: *Ira est fervor sanguinis circa cor*; & pro formali; ut cum dicimus *ira est appetitus vindictæ*.

28 Quartò accipitur *passio* pro qualitate facile, seu citò transeunte; quæ vel nata est, causare aliquam passionem in sensu, vel ex aliqua passione causari. Et dixi notanter, *facile, seu citò transeunte*; quia si non facile, seu citò transeat, sed multum duret, non *passio*, sed passibilis qualitas nuncupabitur.

29 His suppositis conveniunt omnes, *passionem* in prima acceptione non spectare ad tertiam speciem qualitatis; cum sit quid transcendens per omnia prædicamenta. Et idem dicendum est de *passione* in secunda acceptione: quia *passio* in secunda acceptione non est qualitas, sed peculiare constituit prædicamentum, quod dicitur passionis. Et (quidquid dicit Rubius) idem dicendum existimo iuxta principia Scoti, & Aristot. de passione in tertia acceptione; nam iuxta istorum principia solum qualitates per se sensibiles possunt spectare ad istam speciem: (de Scoto patet ex dictis q. 2. huius disputationis nu. 9. De Arist. autem constat, quia in hoc capite, tam passionem, quam passibilem qualiterem definit per ordinem ad sensum dicens, *esse qualitates facile, vel difficile mobiles afficientes sensum*) constat autem passionem animæ sumptas formaliter non esse sensibiles.

30 Nec obstat, quod objicit Rubius, scilicet Aristotelem inter qualitates huius speciei enumerasse iram, & dementiam. Nam bene respondet Scotus quæst. 26. prædicamentali §. *Ad aliam questionem*, vers. *Ad aliam rationem*, quod, etiam si ira, & dementia (sicut, & omnes qualitates animæ, quæ non sunt principium innatum operandi) pertineant ad primam speciem qualitatis, nihilominus numerata fuerunt ab

Aristot. in tertia specie; quia, cum passio, & passibilis qualitas sumptæ præcisè differant penes has differentias accidentales faciliter, & difficiliter mobile, penes quas etiam differunt habitus, & dispositio; idè, quæ sunt in prima specie possunt numerari in tertia; quia participant illam differentiam, quæ non est propria tertiæ. Sicuti è converso in prima specie numerantur calor, & frigus; quæ tamen verè sunt in tertia specie; ut per hanc mutuam enumerationem specierum insinueret Aristot. has differentias, *faciliter, & difficiliter mobile*, non solum non esse essentielles, sed neque esse proprias alteri illarum specierum; sed accidentaliter distinguere passionem à passibili qualitate, & dispositionem ab habitu. Hæc Scotus.

31 Relinquitur ergo quasi à sufficienti partium enumeratione, passionem spectantem ad hæc tertiam speciem sumi in quarta acceptione. Et hic est communis consensus Arist. & omnium Philosophorum in hoc capite.

32 Sed quamvis hoc, quod est causare passionem in sensu, vel ex aliqua passione causari, sit ratio, unde qualitates huius tertiæ speciei sumptæ nomen; dubium tamen est, quænam ex his rationibus sit differentia, per quam species ista distinguatur à reliquis differentia (inquam) non essentialis, (hæc enim, ut dictum est q. 3.

ignata

ignata est) sed modalis; consequens tamen necessario ad differentiam essentialem huius tertiæ speciei.

33 Sunt, qui dicant, hanc differentiam consistere in posteriori ratione, scilicet in hoc, quod est, esse qualitatem causatam per aliquam passionem, vel corruptivam, vel perfectivam. Ita videtur sensisse D. Thp. 1. 2. q. 49. artic. 2. dum dicit, qualitates huius tertiæ speciei constitui in esse talis, quia sunt per se termini alicuius actionis perfectivæ, aut corruptivæ. Expressè hoc defendit Rubiusq. 4. dub. 4. & probat. Primò ex Arist. in hoc capite, qui affirmat objecta visus, ut sunt colores, non esse passibiles qualitates, quia causant passionem in sensu, ut causant objecta gustus, & tactus; sed quia per passionem sunt facta.

34 Secundò probat, quia, cum objecta visus non causant passionem in sensu, excludendæ essent huiusmodi qualitates ab hac specie; si aliàs solùm constituerentur in illa qualitates per hoc, quod est, esse natura sua causativas passionum in sensibus, & non per hoc, quòd est, esse causatas per passionem.

35 Sed nobis dicendù est, quòd, etsi nomen passionis aliquæ qualitates huius speciei desumant, nõ ex passione, quam causant in sensu; (ut contingit in objectis visus) sed ex passione, per quã causantur; nihilominùs differentia, seu modus, per quem constituuntur qua-

litates in hac tertiã specie distinctæ ab alijs, est, causare passionem in sensibus. Hęc est sententia Scoti q. 36. predic. sæpè citata §. *Ad omnes istas questiones: ubi differentiam, seu modum, per quem istam speciem constituit, & distinguit ab alijs, dicit, consistere in hoc, quod est, esse primò sensibilem.*

36 Imò est expressa Arist. qui in hoc cap. non solùm negat, rationem, per quam qualitates huius speciei constituuntur in esse talis, esse, quia causantur per passionem, sed etiam affirmat, hanc rationem esse, quia sunt efficaces ad causandam passionem in sensibus. Verba Arist. sunt. *Qualitates passive dicuntur, nõ idem, quòd ea, que susceperunt passiva, aliud sunt, &c. Sed quia qualibet qualitas dicta passionis in sensibus est efficax.*

37 Et ratio est, quia ex opposita sententia sequeretur, quòd operationes immanentes, ut sunt intellectio, volitio, &c. essent qualitates huius tertiæ speciei. Siquidem sunt termini actionis perfectivæ. Quod non solùm est contra Scotum in verbis super relatis; sed etiam contra D. Thom. 3. p. q. 63. art. 2. ad 2. ubi sic ait: *in tertia specie qualitatis non sunt, nisi sensibiles passionis, & sensibiles qualitates.* Et probatur ratione Scoti. Ex Arist. in hoc cap. secundùm qualitates huius tertiæ speciei fieri potest alteratio. Sed secundùm operationes immanentes non potest fieri alteratio: (nam istæ sunt in

anima, quæ incapax est alterationis) ergo operationes immanentes non spectant ad istam tertiam speciem.

38 Ad autoritatem Arist. adductam à Rubio responderetur, prædictis verbis non assignasse Arist. rationem constitutivam huius tertie speciei, sed causam, ob quam his qualitatibus imposuit nomen passionis. Et, quod hoc sit verum, patet. Primum, quia sibi esset contrarius in verbis adductis pro nostra sententia. Secundum, quia iam aliud constitutivum assignasset pro qualitatibus, quæ sunt obiecta tactus, & gustus; & aliud pro qualitatibus, quæ sunt obiecta visus; & consequenter esset dicendum ex Arist. in ratione qualitatis obiecta visus differre specie ab obiectis tactus, & gustus; & consequenter non posse spectare omnes ad istam tertiam speciem. Quod nullus dixit.

39 Ad rationem dicimus, quod, etiam si obiecta visus non causent passionem physicam in sensu, causant tamen passionem intentionalem; quæ etsi non sit passio ita rigorosa, nec à nobis percipitur; (& hæc est causa, ob quam nomen *passio* non sumitur ex passione, quam causant in sensu, sed ex passione, per quam causantur, quæ physica, & nobis perceptibilis est) est tamen passio sufficiens, imò requisita ad hoc, ut inter qualitates huius tertie speciei numerentur. Quod satis insinuat Scot. dum §. *Ad questionem*, passionem, quam debent causare

in sensu qualitates huius speciei, ut in ipsa constituantur, *passionem non veram* appellavit.

40 Secundum dubitari potest, quo pacto differant inter se passio, & passibilis qualitas? Responderetur cum Scoto verbis nuper relatis n. 30. & ex fere omnium sententia, solum differre accidentaliter; & sic constituere unicam tantum speciem qualitatis subalternam. Et ratio est, quia tam passionem, quam passibiles qualitates sunt per se *primò sensibiles*. Quod est differentia modalis posita loco propriae, & intrinsicæ differentie huius speciei, & solum differunt ex eo, quod passibiles qualitates diu durant, passionem verò citò transeunt. (ut docuit Arist. in litera) Quæ differentie accidentales sunt respectu qualitatis.

41 Sed contra prædicta obijciat aliquis; per passiones non denominamur quales, teste Arist. in hoc capite; ergo passio non est qualitas. Responderetur ex Scoto §. *Ad quartam questionem*, sic esse intelligendum, à passionibus nos non denominari quales ex communi usu; qui ab illis non de sumit denominativa, cum citò transeant; sed à passibilibus qualitatibus, quæ permanentes sunt, & diu durat. Tamen, si ab illis desumerentur denominativa, (ut desumi possunt) posset quis ab illis qualis denominari, non secus, ac à passibilibus qualitatibus.

SECTIO III.

De forma, & figura.

42 **D**E forma, & figura, sicut de cæteris qualitatis speciebus, duo dubitari possunt. Primū, in qua acceptione spectent ad istā speciē? Secundū, quo pacto differant in ratione qualitatis? Et pro utroq; advertendum est ex Scoto q. 26. prædicam. §. *Ad quintā questionem*, formam multipliciter sumi posse. Primò pro forma substantiāli. Qua ratione anima rationalis dicitur forma hominis. Secūdo pro quocumq; actu, etiā accidentali; in quo sensu omnia accidentia formę accidentales solent appellari. Tertiò pro exteriori dispositione, vel decenti lineatione rei animatę. In quo sensu sumpsit formā (inquit Scot.) Porphy. cap. de Specie, cum dixit, quòd *species uno modo sumitur pro forma uniuscuiusq;*. Et Plalao 44. dicitur de Christo Domino, *speciosus forma præ filiis humanum*.

43 Similiter figura multipliciter sumi potest. Primò sumitur pro imagine, seu signo alicuius. In quo sensu dicitur 1. ad Corint. 10. *Omnia in figura continentur illis*, id est, in imagine, & signo. Secūdo (ut docet Scot.) pro superficie inclusa, & terminata lineis. Tertiò pro ipsa inclusione, seu terminatione superficiēi. Qua ratione nō distinguitur à forma in ultima acceptione sumpta, nisi secūdo di-

versas cōsiderationes. Eadē enim extrinseca terminatio superficiēi, quę à mathematicis, qui considerant quantitatem abstractam à substantia, & qualitibus, dicitur figura; à Physicis, qui considerant quantitatem in corporibus affectis qualitibus sensibilibus, dicitur forma. Vnde benè dixit Scotus, quòd hæc duo, forma scilicet, & figura, in ultima acceptione sumpta, si præcisè sumantur, sunt duę rationes disparatę, si non præcisè sumantur, sunt subalterna, & habentia se, sicut superius, & inferius, cum omnis forma sit figura, & non è contra.

44 His suppositis ad dubitationes propositas respondetur. Ad primam, formam, & figuram, non in primis, neque in secundis acceptionibus sumptas, sed in tertijs spectare ad quartam speciē qualitatis, esseq; veras species illius in his acceptionibus; siquidem in istis, & solis conveniunt eis verè disponere, & modificare substantiā in se ipsa (in quo cōsistit ratio qualitatis iuxta prædicta. qu. 1. huius disp. à n. 13.) secūdum superficiē exteriorē, in quo consistit differentia huius speciēi qualitatis à reliquis, quę vel interiores dispositiones, seu modificationes substantię in se ipsa sunt; vel, si exteriores, non solum disponunt, seu modificanc substantiam secūdum superficiē exteriorē, sed etiam in profundo. Ita Scot. loco citato, & cōmuniter interpretes Arist.

45 Ad secundam responde-
tur formam, & figuram non dif-
ferre essentialiter in ratione qua-
litaris speciei ad hanc quartam
speciem: siquidem tam forma,
quam figura dispositiones, seu
modificationes substantiæ in se
ipsa sunt secundum superficiem
exteriorem; & solum differunt pe-
nès hoc, quod forma significat
illam dispositionem, seu modifi-
cationem physicè, id est, iunctam
cum alijs accidentibus sensibili-
bus; figura verò mathematicè,
id est, abstrahendo ab alijs acci-
dentibus sensibilibus. Quæ diffe-
rentiæ in ratione qualitaris acci-
dentales sunt, vt de se patet. Imò
adhuc comparando istas rationes
accidentales inter se, non sunt
omnino diuersæ rationis, nisi cum
præcisione sumantur. Nam, si su-
mantur absolute, & sine præcisi-
one, vna subalternatur alteri, vt
supra numero 43. ex Scoto nota-
uimus. Et hic etiam est commu-
nis consensus inter interpretes
Aristot.

46 Sed contra obijciat ali-
quis primò. Figura, seu forma est
quidam terminus quantitatis: er-
go non constituet speciem aliquã
qualitatis, sed potius reducetur
ad prædicamentum quantitatis,
cuius est terminus. Secundo obij-
cies Scorum, qui in 4. distinct. 12.
quæst. 3. littera F. dicit: *Figuram
vltra quantitatem non dicere,
nisi relationem partium ad se in-
vicem, vel terminorum clauden-*

*tium partium: ergo ex Scoto fi-
gura non est qualitas, vt nos dici-
mus, sed potius relatio. Et idem
videtur affirmare quolib. 18. lit. I.
& in 1. d. 17. q. 2. lit. O. nam dicit,
quod pulchritudo (quæ est vna ex
qualitatibus, quæ numerantur in
specie formæ, seu figuræ) non est
aliqua qualitas absoluta in corpore
pulchro, sed est aggregatio omnium
convenientium tali corpori; puta
magnitudinis, figuræ, & coloris, &
aggregatio respectuum, qui sunt in
florum ad corpus, & ad se invicem.*

47 Ad primam ex his obiectio-
nibus respondetur formam, seu fi-
guram non esse terminum intrin-
secum qualitatis; hic enim in linea
est punctum, & in corpore superfi-
cies. Sed est terminus extrinsecus
resultans ex termino intrinseco.
Vnde argumentum nihil valet; nã
solum potest procedere de ter-
minis intrinsecis: aliàs concluder-
et: omnia accidentia reduci ad
prædicamentum substantiæ; cum
vnumquodque in sua serie possit
dici modus, & terminus extrinse-
cus substantiæ.

48 Ad autoritates Scoti in
secunda obiectione adductas, vt
respondeamus, annotandum est,
quod, sicut in quantitate potest
excogitari duplex extensio par-
tium; vna in ordine ad se, quæ ve-
rè reperitur in corpore Christi
Domini, dum est in Eucharistia.
Et alia in ordine actuali ad lo-
cum, ita in quacumque re mate-
riali affecta quantitate nos pos-
sumus

sumus excogitare duplicem figuram, seu formam: unam, quæ sequitur ad extensionem partium quantitativarum in ordine ad se; quæ verè reperitur in corpore Christi Domini, dum est in Eucharistia; & aliam, quæ sequitur ad extensionem partium quantitativarum, ut dicunt ordinem actualem ad locum.

49 Est autem magnum discrimen inter istas formas, seu figuras, scilicet quòd posterior formaliter consistit in aggregatione relationum, quas dicunt partes quantitativæ ad locum; seu (ut propriùs loquar) in relatione, & habitudine, quam dicunt partes istæ quantitatis, ut subsunt relationibus ad locum, tam inter se, quàm ad corpus, quod constituunt, comparatæ. Quæ relationes sunt secundùm esse, & prædicamentales spectantes, vel ad prædicamentum *vbi*, si de relationibus, quas dicunt partes quantitatis ad locum sermo sit: vel ad prædicamentum *scus*, si sermo sit de relatione, quam dicunt partes, ut subsunt relationibus ad locum, tam inter se, quàm ad corpus, quod constituunt, comparatæ. Vnde fit, ut figuræ, seu formæ istæ varientur ex variatione loci partium quantitativarum; ut videri est in aqua, quæ diversam figuram habet, dum est in vase rotundo, ac, quando est in vase plano, vel pyramidali. Imò totaliter illam amittunt ex eo, quòd partes quantitatis desinant


esse in loco; ut videri est in corpore Christi Domini existente in Eucharistia, in quo non est ista figura, seu forma.

50 At prior figura non consistit formaliter in aliqua ex his relationibus, sed in entitate quadam absoluta, & solùm relativa secundùm dici necessariò consequente istas partes quantitatis secundùm se, & non inquantùm dicunt ordinem actualem ad locum. Vnde fit, ut solùm variari possit ad variationem ipsarum partium quantitativarum; non verò ad variationem localem ipsarum. Et sic loquendo de ista figura, seu forma, eadem est in eadem aqua, dum est in vase rotundo, ac, quando erat in vase plano. Imò eadem est, quando quantitas est sine loco, ac, quando erat in illo; ut patet in exemplo corporis Christi Domini existente in Eucharistia supra adducto.

51 His suppositis dicimus, quòd figura, seu forma, quæ spectat ad istam quartam speciem qualitatis, non est forma, seu figura, quæ sequitur ad partes quantitatis, ut dicunt actualem ordinem ad locum, nam hæc spectat ad prædicamentum *scus*: sed figura, seu forma, quæ sequitur ad partes quantitatis secundùm se, & secluso quocumque ordine actuali ad locum; ac per consequens authoritates Scoti adductas non esse, d. propositum; nam ibi

Scotus loquitur de forma, seu figura, quæ sequitur ad partes quantitatis, vt dicunt actualement ordinem ad locum. Et quòd hoc sit verum, patet, nam in priori loco loquitur de figura, quam habet aqua ex eo, quòd sit in diversis vasibus; quæ est localis, vt de se patet. Et in posteriori loquitur de pulchritudine; quæ, etiã si pro materiali, & inquantum includit modificationem, seu terminationem partium quantitatum in ordine ad se, quas includit corpus pulchrum, spectet ad hanc quar-

tam speciem qualitatis, tamen proformali, & inquantum dicit aggregationem omnium convenientium tali corpori, seu (vt proprius loquar) relationem, & habitudinem, quam dicunt omnia ista, tam inter se, quam ad corpus pulchrum, quod constituunt, non spectant ad hanc quartam speciem qualitatis, sed ad prædicamentum *situs*; non secus, ac de asperitate, & lenitate, raritate, & densitate cum Aristotele philosophi sumus in quæstione secunda huius disputationis num. 13.



CAPVT

CAPVT NONVM

DE ACTIONE, ET PASSIONE.

TEXTVS. *Suscipit, & ipsum agere, pativē contrarietatem, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN hoc capite, in quo agit Arist. de actione, & passione, quinto, & sexto prædicamento, nil aliud præstat, quam duas actionis, & passionis proprietates assignare. Quarum prima est accipere contraria. Secunda verò suscipere magis, & minus; & utramque exemplificat in calefacere, & frigefacere, in calefieri, & frigefieri. Nil aliud præstat in litera.

CAPVT DECIMVM

DE CAETERIS PRAEDICAMENTIS.

TEXTVS. *Dictum est autem, & de situm esse, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN hoc capite, in quo Arist. agit de alijs quatuor ultimis prædicamentis, docet, *situm esse* denominativè dici à positione. De tribus verò alijs nil aliud esse dicendum præter ea, quæ dicta fuerant in principio, scilicet, quòd *habere* significat calceatum esse, armatum esse, &c. *ubi esse* in loco, scilicet in foro, in Lyceo, &c. Quando esse in tempore, ut heri, &c. Et nil aliud in litera.

DISPUTATIO VNICA.

De sex ultimis prædicamentis.

DE his sex ultimis prædicamentis pauca admodum tradidit Aristot. in his duobus capitibus, vel quia alibi ab ipso tractantur; nam de *actione*, & *passione* latissimè agit in 3. *Physic.* de *loco*, & *tempore* in 4. de *situ*, *quando*, *ubi*, & *habere* præegerat in 4. capite huius libri. Vel quia minoris entitatis sunt, & eorum vsus non ita frequens in *Dialectica*. In hac ergo disputatione primò generaliter requiram de omnibus, in quo formaliter consistant? An in aliquo absoluto? an in aliquo respectu? Nam non posse consistere in aliqua denominatione extrinseca; neque in complicatione, vel aggregatione priorum prædicamentorum, (vt aliqui existimauerunt) constat ex dictis in antepædicamentis cap. 4. disputatione vnica, quæstione 2. numer. 3. & 5. vbi diximus, prædicamenta omnia constare ex entibus realibus, & simplicibus. Secundò singillatim de omnibus disputabo.

QVAESTIO PRIMA.

Verùm sex vltima prædicamenta dicant formaliter relationes extrinsecus aduenientes?

POSTQVAM Subtilis Doctor in 4. dist. 13. quæst. 1. litera B. docuerat, actionem, quæ est quintum prædicamentum, non posse formaliter consistere in aliqua entitate absoluta propter duo inconuenientia, quæ ibi adducit, & nos infra adducemus, sed necessariò consistere in relatione; & hæc dicere pro formali, subdit, quòd, si debet saluari illa famosa diuisione, quam secundum Auicenam 3. Met. cogimur observare propter Philosophorum antiquam auctoritatem, cui non facile debet con-

tra-

tradici, qua ens reale dividitur in decem predicamenta; necessariū est, fateri, non omnes respectus pertinere ad vnicum predicamentum, & sub vno generalissimo collocari; sed distinguendum est ens respectivum in variā genera, non secūs, ac distinguitur ens absolutum, ita vt ens respectivum in cōmuni primò dividatur in respectus intrinsecūs advenientes; qui sunt illi, qui necessariò confluent, & resultant, vtroque extremo in actu posito: & de his docet, pertinere ad tertium predicamentum) & in respectus extrinsecūs advenientes; qui necessariò non confluent vtroque extremo etiam in actu posito: & de his docet, non pertinere ad tertium predicamentum, sed constituere sex ultima. Eiusdem doctrinam docuerat in dist. anteced. q. 1. lit. N. & dist. 6. q. 10. lit. B. & in 3. d. 1. q. 1. & quolib. 1. 1. & alibi sæpè; quem unanimiter secuntur omnes discipuli.

2 Hanc doctrinam Scoti acriter impugnat Thomistæ quantum ad duo. Primum est, dari in rerum natura relationes extrinsecūs advenientes distinctas predicamento à relationibus intrinsecūs advenientibus. Secundum est, sex ultima predicamenta solum formaliter consistere in predictis relationibus. Quòd si à Thomistis inquiras, quid pro formali dicat sex ultima predicamenta? respondent, (qui melius sentiunt) nō dicere pro formali entitate absolutā præsci-

se, quia sex ultima predicamenta non possunt intelligi absq; respectu; neq; relationem præscise, vt docet Scot. sed dicere pro formali modū quem dā absolutum includentē intrinsecē respectū transcendentale, vel secundū dici. Ita Cajet. super predicamenta, Soncin. 5. Met. q. 38. & 39. Tabell. q. ult. Fōsecac. 15. q. 7. Sor. & Mab. in hoc cap. Suar. disp. 48. fōc. 1. & Rub. q. unica in sex ult. predicamenta; Curfus Carmel. disp. 16. q. 1. estq; fere communis consensus.

3 Primū assertū, scilicet nō dari relationes extrinsecūs advenientes distinctas predicamento à relationibus intrinsecūs advenientibus, probat. Primò, quia Arist. nunquā distinxit relationes in intrinsecūs; & extrinsecūs advenientes. Talis ergo distinctio ficta est à Scoto.

4 Secundò: (& est præcipua illorum ratio) quando Scot. dicit, relationes intrinsecūs advenientes esse illas, quæ necessariò resultant posito fundamento, & termino; relationes verò extrinsecūs advenientes esse illas, quæ non resultant necessariò posito fundamento, & termino, vel loquitur de fundamēto relationis proximo, vel de remoto? Si de fundamēto remoto, omnes erunt relationes extrinsecūs advenientes; siquidem nulla relatio est, quæ statim necessariò resultet ex positione termini, & fundamenti remoti. Si verò loquitur de fundamēto proximo, omnes relationes erunt

erunt intrinsecus advenientes: si quidem nulla est relatio, quæ statim necessario non resultet posito termino, & fundamento proximo: ergo ficticia, & nulla est ista distinctio relationum, quam tradit Scotus.

5 Antecedens probant, & confirmant aliquibus exemplis, & comparationibus relationum extrinsecus advenientium ad relationes intrinsecus advenientes. Nã, sicut posito agente, & patiente, quæ sunt fundamentum, & terminus remota relationis extrinsecus advenientis (scilicet actionis) non resultat necessario relatio actionis, bene tamen, si inter agens, & passum ponatur debita approximatio, quæ est fundamentum proximum, ita similiter positis duobus parietibus, qui sunt fundamentum, & terminus remota relationis intrinsecus advenientis, scilicet similitudinis, non resultabit inter ipsa necessario similitudo; bene tamen, si ponatur in eis unitas in albedine, quæ est fundamentum proximum.

6 Tertiò; unio ex Scoto in 3. dist. 1. q. 1. est relatio extrinsecus adveniens. (& idem est iudicium de inharrentia æquali) Sed hæc relationes nõ collocantur in aliquo ex sex ultimis prædicamentis: ergo falsum est, quod etiã dicit Scotus, scilicet omnes relationes extrinsecus advenientes pertinere ad sex ultima prædicamenta.

7 Secundum autem assertum,

scilicet sex ultima prædicamenta non dicere pro formali præscisè relationem (vt affirmabat Scot.) probant. Primò; quia ad relationem non datur per se motus ex Arist. 5. Physic. Sed ad *ubi* (quod est unum ex sex ultimis prædicamentis) datur per se motus ex eodem Philosopho 5. Metaph. c. 9. ergo saltem de aliquo ex sex ultimis prædicamentis non erit verù dicere, quòd pro formali importat solam relationem.

8 Secundò; quia actio ex Arist. 3. Physic. est motus, vt procedens ab agente, & passio idem motus, vt receptus in passio. Sed motus, provt receptus in passio, & provt procedit ab agente, præter respectum ad agens, & ad patients, dicit entitatem absolutam, scilicet ipsam formam, quæ fit, in fieri, & in via: ergo saltem de his duobus prædicamentis affirmari non poterit pro formali dicere præcisam relationem extrinsecus advenientem.

9 Tertiò, si sex ultima prædicamenta dicerent pro formali præscisè respectum, non distinguerentur à prædicamento *ad aliquid*; consequens est falsum, & contra Scotum: ergo dicendum est, pro formali non dicere præscisè respectum. Antecedens patet; nam, sicut essentia prædicamenti *ad aliquid* est, quòd totum suum esse sit ad aliud, ita & istorum prædicamentorum essentia esset, esse ad aliud; siquidem pro formali solam rela-

relationem important, cuius esse est esse ad aliud.

10. Quarto arguunt recentiores: propria ratio relationis est esse ad. Sed sex ultima prædicamenta formaliter sumpta non dicunt esse ad, sed esse in: ergo sex ultima prædicamenta formaliter sumpta non dicunt relationem. Minorem probant inductione; nam ubi idem est, ac esse in loco; quando in tempore; & sic de reliquis.

11. Tertium verò assertū, quod est sententia eorum, scilicet sex ultima prædicamenta dicere pro formali modum absolutum includentem respectum transcendentalem, vel secundum dici, non aliud de probant, quam ex refutatione sententia Scoti, & similiter ex refutatione sententia eorum, qui dicunt, sex ultima prædicamenta pro formali dicere solam entitatem absolutam. Et insuper addūt, nullum sequi inconveniens ex eo, quod hæc sex ultima prædicamenta pro formali dicant modum absolutum includentem respectum transcendentalem, vel secundum dici; quia ex absoluto, & respectu transcendentali, vel secundum dici fieri potest unum per se, ut patet in creatura, in scientia, & in pluribus alijs qualitatibus.

12. His tamen non obstantibus amplectenda est sententia Scoti, quæ his assertis explicatur. Prima conclusio. Sex ultima prædicamenta non dicunt pro formali solam,

& præcisam entitatem absolutam. Est communis apud Authores; & probari potest. Primò, quia, si sex ultima prædicamenta dicerent pro formali entitatem absolutam præcisam, possent optimè concipi sine ordine, & habitudine ad aliud. Sed est impossibile, quòd aliquod ex sex ultimis prædicamentis concipiatur sine ordine, & respectu ad aliud: ergo ultima prædicamenta non dicunt pro formali præcisam entitatem absolutam.

13. Secundò, si actio, v.g. formaliter consisteret in entitate absoluta; sequeretur (inquit Scotus) duo inconvenientia. Primum est, quòd ad actionem esset actio, & sic in infinitum, quod ut inconveniens maximum iudicavit Aristot. 5. Physic. Sequela patet; quia omnis entitas absoluta nova habet esse per actionem. Secundum est, quòd non esset assignabile subiectum actionis. Nam in primis non esset agens, quia, si esset agens, sequeretur, agens mutari secundum formam absolutam semper, quòd aliquid producit; quod est falsum; cum motus sit actus entis in potentia passiva, & non activa, qualis est, quam habet agens, cū producit. Neque etiam esset passum; nam sequeretur (inquit Scotus) aliud non minus inconveniens, scilicet, nullum passum posse pati secundum formam de genere quantitatis, vel qualitatis, quin simul, & per se prius secundum naturam patiatur secundum formam abso-

luta m.

latam alterius generis posterioris, scilicet actionis. Quod est absurdum.

14 Secunda conclusio. Sex ultima prædicamenta formaliter sumpta consistunt in sola relatione. Hæc conclusio est Scoti loco citato. Et probari potest primò ex confutatione aliarum opinionum. Nam in primis sex ultima prædicamenta (ipsis etiam adversarijs, contra quos nunc disputamus, consentientibus) non consistunt formaliter in denominatione extrinseca, sed in entitate reali, & intrinsicè afficiente subiectum, quod ab ipsis denominatur. Rursus hæc entitas realis, & intrinsicè inhærens, in qua consistunt formaliter, non est præcisè entitas absoluta, ut probatum est in prima conclusione. Neque etiam est id, quod adversarij existimant, scilicet, modus absolutus includens essentialiter, & quidditative respectum. Nam vel hic respectus est *secundum dici*, vel transcendentalis? Si primum; incidet in sententiam asserentium, ultima prædicamenta formaliter consistere in entitate absoluta; nam (ut ex dictis in annotationibus circa caput de *ad aliquid* num. 2. & 6. constat) relationes *secundum dici* non sunt relationes; nec de essentia relatiuorum *secundum dici* est relatio, sed solum talia dicuntur relationibus *secundum esse*, quæ illis sunt annexæ.

15 Si dicas, esse respectum tran-

scendentalem, cū hic sit *secundum esse*, (ut ex dictis loco citato nu. 8. constat) militat ratio facta in questione de inhærentia ad probandum, nullam relationem *secundum esse*, siue sit prædicamentalis, siue transcendentalis, esse posse de essentia, & quidditate entitatis absolutæ propter manifestam repugnantiam essendi idem quidditative ad se, & ad aliud; ac per consequens ad se, & non ad se; ergo à sufficienti partium enumeratione ratione dicendum est, sex ultima prædicamenta formaliter consistere in sola relatione.

16 Secundò probari potest hæc conclusio sic. Per hoc, quòd Petrus sit de novo in loco, vel desinat esse in loco, nil aliud acquirat, aut amittit, quàm respectum, ipsum cum loco commensurantem. Sed acquirit, vel amittit *ubi*, quod est unum ex sex ultimis prædicamentis, solum formaliter consistet in isto respectu, qui acquiritur, vel amittitur. Probatum maior: nam, posita in Petro ista habitudine ipsum cum loco commensurante, & secluso quocumque alio, verè Petrus est in loco, & seclusa illa, & quocumque alio permånente Petrus amittit locum, seu desinit esse in loco.

17 Tertia conclusio. Hi respectus, in quibus formaliter consistunt sex ultima prædicamenta, distinguuntur genere supremo, seu prædicamento, tam inter se, quàm à respectibus terrij prædicamenti.

Hæc

Hæc conclusio est etiam Scoti loco citato, quam ipse optimè probat ex inconvenienti maximo, quod ex opposita sententia sequeretur, scilicet, quòd non possemus saluare, & sustinere famosam illà divisionem entis in decem prædicamenta, quam tradidit Arist. & cui (vt docet Scotus ex Auicena) non possumus contradicere propter omnium Philosophorum antiquam autoritatem. Sequela patet, nam concedendo, omnes respectus, in quibus formaliter consistunt hæc prædicamenta, esse eiusdem generis, & prædicamenti, non possemus plura, quam quatuor prædicamenta constituere, scilicet substantiam, quantitatem, & relationem.

18. Quarta conclusio. Optimè distinguuntur à Scoto relationes tertij prædicamenti à relationibus, quas pro formali dicunt sex vltima prædicamenta, quia istæ sunt extrinsecùs aduenientes, hoc est, non necessariò confurgentes ex positione fundamenti, & termini, quæ immediatè referuntur; illæ verò intrinsecùs aduenientes, hoc est, necessariò confurgentes ex positione fundamenti, & termini, quæ immediatè referuntur secluso quocumque alio extrinsecò.

19. Probatur conclusio. Quando differentia quidditativa, & essentialis, quibus aliqua constituuntur, & distinguuntur, à nobis nõ cognoscitur, optimè assigna-

mus discrimen inter illa ex aliquibus proprietatibus illarum. Sed intrinsecùs aduenire est proprietas quarto modo relationum tertij prædicamenti, cum omnibus solis, & semper conveniat: extrinsecùs verò aduenire est proprietas quarto modo conueniens omnibus relationibus, quas pro formali dicunt sex vltima prædicamenta: ergo optimè distinguuntur relationes tertij prædicamenti, à relationibus, quas pro formali dicunt sex vltima prædicamenta, per intrinsecùs, & extrinsecùs aduenire, supposito, quòd illarum differentias quidditativas, & essentielles ignoramus. Minor huius syllogismi patebit inductione; nulla enim est relatio tertij prædicamenti, quæ intrinsecùs non adueniat; sicut neque vlla est ex illis, quas pro formali dicunt sex vltima prædicamenta, quæ non adueniat extrinsecùs.

20. Ad argumentum adductum pro primo aduersariorum asserto responderetur, in primis nil valere; nam est argumentum ab autoritate negativa. Deinde dicimus, quòd, etsi Aristor. non distinxerit expressè relationes intrinsecùs, & extrinsecùs aduenientes, tamen constituendo sex vltima prædicamenta, (quæ ex dictis formaliter dicunt relationem) vt distincta à tertio prædicamento, aperte factus est, dari relationes distinctas genere, seu prædicamento à relationibus tertij generis. Quam distin-

finitionē optimē declaravit Scotus penēs hoc, quod relationes tertij prædicamēti intrinsecūs adveniunt; secūs autē, quæ ad sex vltima prædicamenta pertinent.

21 Ad secundū dicimus, quod, quando Scotus docet, relationes intrinsecūs advenientes esse illas, quæ posito fundamento, & termino necessariò resultant, relationes verò extrinsecūs advenientes, quæ posito fundamento, & termino non necessariò resultant per fundamentum, & terminum intelligit extrema, quæ immediatè referuntur, vt sunt duo alba, generans, & genitum, agens, & passum, locus, & locatum, &c. De his ergo fundamentis, & terminis vera est differentia à Scoto assignata; siquidem videmus, quod positis actu in rerum natura igne, & ligno, quæ sunt agens, & passum, & extrema, interque immediatè versatur relatio actionis, & passionis, non necessariò resultat relatio. (Idem est iudicium de loco, & locato.) At verò in generatōe, & genito, vel inter duo alba, quæ sunt etiam extrema, quæ immediatè referuntur, non sic contingit, sed potius è contra; positis enim actu generante, & genito, necessariò resultat relatio paternitatis, & filiationis inter illa. Et idem contingit ex positione duorum alborum.

22 Vnde exempla, quæ in confirmationem, & probationem adducebantur à contrarijs, ad pro-

positum non sunt. Nam in ipsis falsò assumitur, quod posito agente, & passivo in debita approximatione necessariò resultat relatio, sicut resultat ex positione duorum alborum: nam ex positione duorum alborum resultat relatio secluso quocumque alio: at posito agente, & passivo in debita approximatione, adhuc requiritur aliquid aliud, per quod relatio actionis, & passionis resultet, scilicet, transmutatio passivi ab agente. Et quod hoc sit verum patet; nam si talis transmutatio impediretur à Deo, vt contingit in furno Babylonis, non resultaret relatio actionis, & passionis quantumvis agens, & passum essent approximata.

23 Item, malè æquiparantur duo parietes respectu relationis similitudinis; & agens, & passum respectu relationis actionis, & passionis; nam duo parietes non sunt extrema, inter quæ immediatè, & proximè versatur relatio similitudinis, sicut sunt agens, & passum respectu relationis actionis, & passionis.

24 Possumus præterea hoc discrimen, quod ponit Scotus inter relationes intrinsecūs, & extrinsecūs advenientes, ampliùs declarare dicendo, relationem intrinsecūs advenientem appellari illam, quæ positis fundamento, & termino necessariò resultat; quia relationes istæ ita pullulant, seu oriuntur ex natura fundamenti,

& ter.

& termini, (intellige per fundamentum, & terminum, ut modo dicebamus, extrema, quæ immediatè referuntur) ut, præter actionem necessariam ad positionem fundamenti, & termini in actuali existentia, nulla alio actio requiratur, ut videri est in relatione producentis ad productum, & in relatione similitudinis inter duo alba. At relatio extrinsecus adveniens dicitur illa, quæ posita fundamento, & termino non necessariò resultat, quia relationes istæ, præter actionem, seu actiones necessarias ad hoc, ut fundamentum, & terminus ponantur in actuali existentia, requirunt ad hoc, ut resultent aliam actionem, per quam immediatè fiant, seu pullulent, distinctam ab actione, seu actionibus, per quas fundamentum, & terminus posita sunt in actuali existentia; vel saltem unam actionibus, quibus producuntur extrema in actuali existentia, & fiunt, seu pullulant relationes æquivalentem, ut videri est in *vbi, seu, quando, &c.*

25 Ad tertium responderetur, falsum esse relationem unionis non collocari in aliquo ex sex ultimis prædicamentis: nam, cum tunc dicantur aliqua extrema unita, quando unum transmutat aliud, relatio unionis pertinebit ad prædicamentum actionis, si fuerit transmutantis ad transmutatum, vel ad prædicamen-

tum passionis, si fuerit relatio transmutati ad transmutans. Et idem docuit Scotus in quarto distinctione 12. quæstione 1. lit. C. de relatione actualis inhærentiæ: est enim hæc inhærentia actualis, transmutatio subiecti per accidentia,

26 Ad argumenta adducta pro secundo adversariorum asserto responderetur. Ad primum respondet Scotus in 3. distinct. 1. quæstione 1. §. *Ad aliud*; illud dictum Aristotelis; *Ad relationem non est per se motus*, intelligendum esse de relationibus intrinsecus advenientibus, quæ sunt, de quibus ipse loquebarur, non verò de extrinsecus advenientibus, quales sunt relationes, quas pro formali important sex ultima prædicamèta. Et ratio huius discriminis est, quia, cum relationes intrinsecus advenientes necessariò resultent expositione fundamenti, & termini, non datur motus ad ipsas, sed ad fundamentum, & terminum, ex cuius positione resultant. At extrinsecus advenientes cum expositione fundamenti, & termini non necessariò resultent, requiritur, (ut nuper dicebamus) motus, seu mutatio, per quam fiant, seu resultent immediatè, & per se.

27 Ad secundum responderetur, quòd, quando Arist. 3. Physic. docet, eundem motum, qui, proptèr est ab agente dicitur actio, esse passionem, proptèr recipitur, & dicit

cic habitudinem ad passum, non sumpsit actionem, & passionem pro formis, quæ constituunt quintum, & sextum prædicamentum. Sic enim actio, & passio non sunt motus, sed præcisè relationes; sed sumpsit actionem, & passionem pro re acta, seu producta in fieri, quæ (vt infra, dum de actione sit sermo dicemus) solet etiam ab Arist. actio, & passio appellari.

28 Ad tertium negamus antecedens: & ad probationem dicimus, quòd, etiam si relationes tertij prædicamenti, & relationes, quas pro formali dicunt sex vltima prædicamenta, convenient in hoc, quòd vtrarūq; esse sit ad aliud se habere; tamen relationes tertij prædicamenti sunt intrinsecus advenientes; at sex vltimorum prædicamentorum sunt extrinsecus advenientes. Quæ differentia indicium est sufficiens ad constituendum illas in diversis prædicamentis, cum diverso modo in genere afficiant realiter subiectum.

29 Dices; sequitur ex hoc, saltem sex vltima prædicamenta nõ differre genere, seu prædicamento; siquidem univocè conveniunt in conceptu communi relationis extrinsecus advenientis, qui, cum *in quid*, vt pars essentia de omnibus ipsis prædicetur, habebit quidem rationem generis. Respondetur, quòd, sicut de ente diximus cap. de Æquivocis, &c. disp. 2. q. 3. num. 30. non esse genus respectu prædicamentorū, etiam si in ente

decem prædicamenta univocè conveniant, & ipsum ens de illis *in quid*, vt pars essentia prædicetur, eò quòd non contrahitur ad ipsa per differentias, sed per modos intrinsecos, & ad rationem generis necessarium est, quòd ad inferiora per differentias contrahatur, (vt ibi ex professo probatum est) ita modo dicimus, conceptum relationis extrinsecus advenientis non esse genus respectu sex vltimorum prædicamentorum, non obstare, quòd in dicta ratione univocè conveniant, & quòd de ipsis prædicta ratio *in quid*, vt pars essentia prædicetur; quia non contrahitur ad ipsa per differentias, sed per modos intrinsecos.

30 Ad quartum concessa maiori negamus minorem, scilicet sex vltima prædicamenta pro formali dicere *esse in*, sumpto *esse in*, vt distinguitur contra *esse ad*, scilicet pro habitudine ad subiectū, & non ad terminum. Et ad instantias de esse in loco, & de esse in tempore, quæ sunt rationes, quas pro formali important *vbi, & quando*. Respondetur, quòd, cum rem esse in loco, vel in tempore, non denotet *ly, in*, habitudinem ad aliud, tanquam ad subiectum, in quo est, sed potiùs tanquam ad terminum, à quo extrinsecè circumscribitur, seu mensuratur, potiùs est pro nobis; nam ibi esse in loco, vel esse in tempore in rigore idem important, ac esse ad locum, seu esse ad tempus.

31 Ad argumentum factū pro tertio asserto patet ex dictis in tertia conclusione, quæ inconuenientia sequantur ex eo, quod sex vltima prædicamenta ponantur in aliquo modo includente essentialiter respectum secundum dici, vel transcendentalem; nam sententia, quæ affirmat, hunc respectum esse secundum dici coincidit cum sententia, quæ affirmat, hæc prædicamenta pro formali solum consistere in entitate absoluta. Sententia verò, quæ defendit, hunc respectum esse transcendentalem, admittit hanc contradictionem, scilicet idem essentialiter esse ad se, & ad aliud, & consequenter ad se, & non ad se.

32 Nec oppositum vincunt instantiæ, quæ in argumento adducuntur, sed potius nostram doctrinam confirmant; nam de scientia, & alijs qualitibus, quæ, solum dicuntur relativa secundum dici, constat, essentialiter nullum includere respectum, sed esse purè absoluta, & solum denominari relativa à relationibus secundum esse realibus, vel rationis illis annexis. De creatura verò patet ex sæpe dictis, quod, et si pro formali dicat relationem transcendentalem, quæ relatio vera, & secundum esse est; tamen hæc relatio non est de quidditate rei absolute, quæ ab ipsa denominatur creata, seu creatura; sed modus quidam intrinsecus illius consequens necessariò illius

esse, seu quidditatem; non secus, ac consequuntur propriæ passionnes.

QVÆSTIO II.

De sex vltimis prædicamentis in speciali.

1 DE vnoquoque ex sex vltimis prædicamentis tria videnda sunt, vt sic aliqualem notitiam eorum habeamus. Primum, *Quid sit?* Secundum, *Quo pacto diuidatur in sua genera, & species?* Tertium, *Quas proprietates habeat?* Quæ omnia suo ordine examinabimus.

SECTIO PRIMA.

De actione.

2 Gilbertus Porretanus, qui auctor sex prædicamentorum dicitur, eò quod de ipsis primus omnium factus disputaverit, sic definiuit actionem. *Actio est, secundum quam in id, quod subijcitur, agere dicimur.* Quam definitionem plures recentiores rejiciunt. Primum, quia creatio est actio. Sed creationi nil subijcitur, cum sit productio ex nullo præsupposito subiecto; ergo falsò dicitur, quod actio est, secundum quam in id, quod subijcitur, agere dicimur. Secundò, quia nullus respectus est principium agendi secundum Commentatorem. *4. Physic. c. 84.* Sed

per nos in quæst. preced. actio, & quocumque aliud ex sex ultimis prædicamentis, formaliter solum consistit in respectu extrinsecus adveniēti; ergo malè in prædicta definitione dicitur, quod actio est secundum quam agere dicimur. Patet consequentia, quia *ly secundum quam*, denotat principium agendi.

3 Quid si ab his Authoribus inquiras; qualis ergo erit actionis exacta definitio? respondent, actionem his verbis optimè defini: *Actio est via, qua media, effectus recipit esse, vel cōservationem ab agente.*

4 Sed his non obstantibus recipienda est, ut exacta definitio, seu descriptio actionis tradita à Gilberto. Quia & illam approbat Scotus in 4. dist. 13. q. 1. & colligitur ex definitione, quam de potentia activa tradidit Arist. 5. Metaph. dicens: *Potentia activa est principium transmutandi aliud in quantum aliud.*

5 Ut autem hoc probari possit, & argumentis in contrarium satisfieri, videndum est prius, quæ sit actio, quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, & consequenter definitum huius definitionis. Et præsuppono ad hoc ex Scoto in 4. distinct. 13. quæst. 1. lit. H. & ex Antonio Andrea super librum sex principiorum q. 7. hoc nomen, *actio*, esse nomē equivocum plura, & diversa significans. Primò enim *actio* sumitur

pro operationibus immanētibus, scilicet pro intellectu, & volitione. Secundò pro respectu producentis ad productum; qua ratione pater solet dici causa agens filij, & Deus creaturarum. Tertio pro respectu inducentis ad inductum, vel educentis ad educum; qua ratione ignis dicitur causa agens caloris, eò quod illum, & educit de potentia passiva ligni; & eò quod illum inducit in lignum. Quarto sumitur actio pro re acta in fieri, ut connotat respectum, quem exprimit hoc, quod est, esse ab alio; qui necessariò erit unus ex tribus dictis in secunda, & in tertia acceptione. Qua ratione sumpsit Aristot. actionem, cum 3. Phys. dixit, eundem motum, id est, formam in fieri, quæ, ut procedit ab agenti, dicitur actio, esse passionem, prout recipitur in passio: sicut idem spatium dicitur acclive, si consideretur, ut incipit à loco superiori, & tendit in inferiorem; & declivè, si consideretur, ut incipit à loco superiori, & tendit in inferiorem. Quintò, & ultimo sumitur actio pro respectu transmutantis ad transmutatum. In quo sensu Aristot. 5. Metaph. definiens potentiam activam docet esse principium transmutandi aliud in quantum aliud.

6 His suppositis dicendum est, actionem, quæ est genus generalissimum, ac per consequens definitum huius definitionis, solum esse actionem sumptam in quin-

quinta acceptione, scilicet pro respectu transmutantis ad transmutatum. Ita docet Scotus loco citato; & ratio est manifesta; nam actio in prima acceptione est verè, & propriè qualitas. (vt latè docet Scotus in 1. distinctione 3. quæstione 6. litera V. & in quolib. quæstione 13.) Actio verò in secunda, & tertia acceptione est relatio intrinsecus adueniens, ac per consequens pertinebit, non ad hoc, sed ad tertium prædicamentum. Et denique actio in quarta acceptione, si sumatur formaliter, id est, pro respectu, quem in re acta significat hoc, quod est, esse ab alio, erit pertinens ad tertium prædicamentum. Quia (vt dictum est) iste respectus est vnus ex tribus dictis in secunda, & tertia acceptione. Si verò sumatur materialiter, id est, pro ipsa re acta in fieri, erit pertinens ad genus, ad quod pertinet ipsa res acta. Solum ergo restat, quòd sit genus generalissimum huius prædicamenti, ac per consequens definitum huius definitionis *actio* in quinta, & vltima acceptione, scilicet sumpta pro respectu extrinsecus adueniente, quem dicit transmutans ad transmutatum, v.g. ignis ad lignum, &c.

7 Ex his patet, optimam esse definitionem actionis traditam à Gilberto; facit enim hunc sensum, *Actio est forma, seu actus, secundum quem in id, quod subijcitur, id*

est; in subiectum transmutabile, *agere dicimur*, id est, agentes denominamur. In hac quippè definitione ponitur pro genere *forma*, seu *actus*; in quo cum pluribus alijs conuenit actio; & loco differentia ponuntur fundamentum, & terminus huius relationis, videlicet agens, in quantum principium transmutandi est; & subiectum in quantum quid transmutabile est. Et per hoc differt ab actione in secunda, & tertia acceptione sumpta; quia, etiam si in his acceptionibus actio sit relatio; tamen fundamentum ipsius est agens in quantum principium producendi, inducendi, vel educendi est; & terminus, non subiectum, sed forma producta, in quantum producta, inducta, vel educata ex potentia subiecti est.

8 Et similiter patet, insufficientem esse definitionem actionis traditam à recentioribus duplici de causa. Primò, quia non competit definito; non enim competit relationi extrinsecus aduenienti, quam dicit transmutans ad transmutatum; quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, & definitum huius definitionis, sed cõpetit actioni sumptæ in quarta acceptione, scilicet pro re acta in fieri, quæ (vt dictum est) nõ est genus generalissimum huius prædicamenti; ac per consequens, nec definitum huius definitionis.

9 Secundò, quia datur per ly, *viam*, quæ, cum rem incompletam

significet, est impossibile, quòd per ipsam genus generalissimum huius prædicamenti explicetur, quia genus generalissimum huius prædicamèti ens completum est.

10 Ad argumenta in contrarium respondetur. Ad primum, creationem non esse actionem pertinentem ad hoc prædicamètum. Sed ad tertium, & sic non mirum, quòd sub definitione Gilberti non contineatur.

11 Ad secundum respondetur, per illa verba, *secundum quæ*, posita in definitione actionis nõ denotari principiũ agendi; nõ à principio agendi non dicimur agentes actu, sed potentes agere; sed denotari formam, à qua agentes denominamur: quæ forma, etsi materialiter sumpta sit aliquid absolutum; (est enim res acta in fieri) tamen formaliter sumpta est respectus, & ratio; siue denominamur agentes per productionem, siue per inductionem, vel eductionem, siue per transmutationem. Unde, concessa maiori, & minori, neganda est consequentia; non enim infertur ex præmissis.

12 Circa divisionem actionis annotandum est, non esse dividendam in actionem, quæ præsupponit subiectum, ut generatio, & in actionem, quæ non præsupponit subiectum, ut creatio: (ut faciunt recentiores,) quia (ut dictum est) actio, quæ est genus generalissimum huius prædicamenti, solùm sub se comprehen-

dit actiones præsupponentes subiectum, ut sunt generatio, alteratio, &c. Sed primò dividenda est actio (ut divisit Gilbertus) in actionem animæ, & corporis; intelligendo per actionem animæ quamcumque actionem, cuius principium est anima, vel quamcumque alia substantia spiritualis, (præter Deum) Et per actionem corporis actiones inanimatorum, ut ignis, &c. Et rursus actiones corporis in substantiales, (ut sunt illæ, quarum terminus est substantia) & in accidentales, ut sunt illæ, quarum terminus est accidens. Et demum accidentales in instantaneas, (ut sunt illæ, quæ in instanti fiunt) & successivas, ut sunt illæ, quæ tempore durant. Et demum successivæ in alterationem, augmentationem, & lationem, seu motum localem; & istæ vsque ad species infimas.

13 Circa proprietates actionis advertendum est, duas, quas hinc enumerat Arist. scilicet suscipere magis, & minus, & habere contrarium, non convenire actioni, nisi ratione termini. (ut docet Scot. in additione quæstionis 36. prædicamentalis in fine) Imò neque omni actioni conveniunt; nam non omnis terminus eius habet contrarium, vel suscipit magis, & minus. Gilbertus autè duas alias enumerat actionis proprietates, quæ in quarto modo illi conveniunt. Prima est semper fieri cum motu, vel muta-

mutatione. Secunda, passionem inferre; posita enim actione necessario etiam ponitur passio; & hoc intellige per passionem inferre; nõ tamen quod sint idem realiter, vt nonnulli volunt.

SECTIO II.

De passione.

14 **C**VM passio constituens hoc prædicamentũ sit respectus oppositus actioni, & oppositorum eadem sit ratio, non est, cur in explicatione huius prædicamenti immoremur. Nam omnia, quæ dicta sunt de actione, tam quoad essentiam, quàm quoad diuisionem, & proprietates, accommodari possunt passioni cum proportione debita oppositis.

15. Solùm dubitare possumus. Vtrum actio, & passio sint distincta prædicamenta? Videtur enim quod non. Primò, quia ex Arist. 3. Physicor. actio, & passio sunt idem realiter. Sed ea, quæ sunt idem realiter non possunt diuersa prædicamenta constituere: ergo actio, & passio diuersa prædicamenta non constituunt. Secundò, quia actiuum, & passiuum ex Arist. 1. de Generatione eiusdem sunt generis: ergo & actio, & passio. Consequẽtia patet per locum à coniugatis. Tertiò, quia contraria sunt in eodem genere ex Arist. 10. Met. Sed actio, & passio sunt respectus contrarij; ergo sub eo-

dem genere continentur.

16 Dicendum tamen est, actionem, & passionem constituere diuersa prædicamenta. Primò, quia diuerso modo in genere afficiunt realiter subiectum. Secundò, quia iam non decem, sed nouem essent prædicamenta; quod est contra torrentem omnium Philosophorum cum Arist.

17 Ad primum respondetur primò, falsum esse actionem, & passionem esse idem realiter, quia (vt dicemus in physica) sunt respectus oppositi relativè, & in diuersis subiectis; quod non comparitur cum identitate reali. Neque Arist. hoc aliquando docuit; nam loco citato loquitur de actione, & passione sumptis pro re acta in fieri, vt est actus actiui, & passivi; (vt optimè explicat Scotus in 4. d. 13. q. 1. lit. K.) actio verò, & passio sumptæ pro re acta in fieri inquantum est actus actiui, & passivi non sunt, quæ constituunt hæc prædicamenta, sed spectant ad prædicamentum termini, vt sententia præcedenti dictum est.

18. Secundò respondetur, data hypothesi, quod actio, & passio essent idem realiter, non sequi întentum; nam ad constituenda diuersa prædicamenta accidentiũ sufficit distinctio ex natura rei formalis, siue, quod vnum non includatur in conceptu formali alterius; vt cap. de Diuisione incomplexorum disputat. vnica quæst. 3, dictum est.

19 Ad secundum respondetur, Aristot. ibi loqui de genere Physico, non de Logico. Vnde sensus illorum verborum est, actiuum, & passiuum versari circa eandem materiam, non verò convenire in eodem genere supremo. Ad tertium respondetur, actionem, & passionem non esse respectus contrariè oppositos, sed relativè.

SECTIO III.

De quando.

20 Gilbertus Porretanus sic definit prædicamentum, *Quando est id, quod ex adiacentia temporis relinquatur in re temporali.* Quid autem sit id, quod ex adiacentia temporis relinquatur in re temporali, his, qui dicunt sex ultima prædicamenta consistere in aliquo absoluto includente respectum transcendentalem, non est facile explicare. Sed nobis dicendum est, ex adiacentia temporis relinquatur in re, quæ temporis adiacet, & ab illo mensurari dicitur, relationem extrinsecus advenièntem coexistentiæ, seu præsentia ad tempus mensurans, quæ subiectatur in re temporali, & terminatur ad tempus; & in hac relatione formaliter consistit prædicamentum istud: quod in abstracto dicitur *quando*, & in concreto *esse in tempore*.

21 Ex his patet, quo pacto sit dividendum hoc prædicamentum in genera, & species; nam dividè-

dum est secundum diversos respectus extrinsecus advenièntes, quos res temporales dicunt ad diversas differentias temporis. Vnde sicut tres dantur differentia generales temporis determinatæ, & aptæ mensurare, scilicet præsens præteritum, & futurum; intelligendo per tempus præsens, non istud *nunc* indivisibile; (hoc enim non est tempus, sed continuativum temporis) sed aliquod tempus determinatum, & aptum mensurare, scilicet spatium huius præsentis diei, quod in mensura unius motus circularis primi mobilis consistit; & rursus tempus, tam præsens, quam præteritum, & futurum potest subdividi in varias partes temporis determinatas, & aptas mensurare res temporales; ita *quando* prima sui divisione potest dividi in *quando*, ratione cuius res dicuntur esse in tempore; & in *quando*, ratione cuius res dicuntur fuisse in tempore; & in *quando*, ratione cuius res dicuntur futuras esse in tempore. Et rursus ista *quando*, quæ sunt species subalterne, subdividi possunt; primùm in *mane*, *vespere*, &c. secundùm in *heri*, *nudiustertius*, &c. & tertium in *cras*, *sequètem annu*, &c.

22 Circa proprietates advertendum est; tres enumerari à Gilberto huius prædicamenti. Prima est non suscipere magis, & minus. Secunda non habere contrarium; quæ non conveniunt illi quarto modo, cum in alijs pluribus

bus reperiantur. Tertia, & quæ cõvenit ei quarto modo, est, quòd quando solùm convenit his, quæ incipiunt esse.

SECTIO III.

De ubi.

23 Gilbertus Porretanus sic definit prædicamentum *ubi*, est circumscriptio passiva à circumscriptione loci, vel spatij proveniēs.

Vnde iuxta hanc definitionem, & sententiam, quam sequimur, dicendum est, *ubi* nil aliud esse formaliter, quàm relationem extrinsecus adveniētem præsentia, quã diceres, quæ est in loco, vel spatio, ad ipsum locum, vel spatium, quæ in abstracto dicitur *ubi*; & in concreto esse in loco, vel spatio. Ita Scotus in 4. d. 10. q. 1. §. Dico ergo, & in 2. d. 2. q. 7. & quolib. 11.

24 *Ubi* primò dividitur à Scoto quolib. 21. §. De primo dico in activum, & passivum. Activum appellat respectũ extrinsecus advenientem præsentia, quem dicit locus ad locatum. Passivum verò respectum extrinsecus advenientem præsentia, quem dicit locatum ad locum. Et hoc *ubi* passivum (quod est solùm, quod definit Gilbertus verbis relatis) subdividitur in definitivum, & circumscriptivum; sumpto definitivo, nõ latè, scilicet pro esse in definito, & determinato loco, quia, ut sic, convertitur cum *ubi* in cõ-

muni, & comprehendit sub se, tam ubi definitivum, quàm circumscriptivum, sed strictè, scilicet pro esse in loco sine extensione in ordine ad illum, ita ut non sit totum in toto loco, & pars in parte, sed potius totum in toto loco, & totum in qualibet parte.

25 Quod *ubi* definitivum subdividi potest in materiale, & spirituale. Materiale est respectus extrinsecus præsentia rei habentis extensionem in ordine ad se, non verò in ordine ad locum. Tale est *ubi*, quod habet corpus Christi Domini in Eucharistia; & quod haberent substantia materiales, si à Deo sine quantitate conservarentur. Spirituale verò est respectus extrinsecus adveniens præsentia rei spiritualis, & indivisibilis adhuc in ordine ad se. Tale est *ubi*, quod habent in loco anima, & Angeli.

25 *Ubi* circumscriptivum dicitur illud, quo res sunt in loco cū extensione partium in ordine ad illum, ita ut tota res sit in toto loco, & pars eius in parte loci. Hoc pacto sunt in loco res corporales affectu quantitate, naturali modo. Quod *ubi* circumscriptivum subdividi potest in sex species iuxta sex differentias loci, quas enumeravit Arist. 3. Physic. tex. 45. dicens: *Amplius, omne corpus sensibile in loco est; loci autem species, & differentia sunt sursum, & orsum, ante, retro, deorsum, & sinistrorsum.*

27 Duas assignat Gilbertus proprietates huius prædicamenti *vbi*, quæ etiam alijs sunt communes; scilicet, non habere contrarium; neque suscipere magis, & minus. Alij attribuant illi alias duas, quæ etiam communes sunt pluribus alijs prædicamentis, scilicet esse immobile, & esse corruptibile. Quintam proprietatem addit Rub. quæ convenit ei quarto modo, scilicet, esse acquisibile per se per motum localem.

SECTIO V.

De situ.

28 Gilbertus sic definit prædicamentum, *Situs, est positio partium corporis, & generationis ordinatio*. Vnde iuxta hanc definitionem, & sententiam, quam sequimur, dicendum est, prædicamentum *situs* (quod est nomen concretum, & in abstracto dicitur *positio*) formaliter consistere in relatione extrinsecus adveniente commensurationis partium rei, quæ est in loco, inter se, vt stare, federe, obliquari, &c. Ita Scotus in 4. d. 10. q. 1. & 5. Met. tex. 24.

29 Est autem advertendum, *situs* proprie solum in corpore animato reperiri; nam *situs* est dispositio partium in loco existentium, vt subiectum aptius suas operationes exerceat, & sic se ipsam conservet; ideò enim homo sedet, stat, iacet, &c. vt melius operetur, & se ip-

sum conservet. Et hoc insinuare voluit Gilbertus Porretanus, cum in definitione dixit, *Situs est positio partium corporis, & generationis ordinatio*. Quibus denotat, solum illis, quæ generantur, competere habere positionem, seu situm.

30 Recentiores, & Suar. 2. to. Metaph. disp. 52. sect. 1. n. 9. existimant, hæc duo prædicamenta *situs*, & *vbi* non distingui realiter. Sed certè absq; ratione, nam invariato situ, & partium positione, standi scilicet, & sedendi possunt variari plura *vbi*; vt si quis sedens, vel stans moveatur: quod fieri non posset, si *situs*, & *vbi* essent idem realiter. Et ratio à priori est; quia *vbi* consistit formaliter in relatione commensurationis rei existentis in loco ad ipsum locum: *situs* verò in relatione dispositionis, & ordinis, quem servant partes, quæ sunt in loco, inter se ipsas; quæ relationes, (vt patet) licet vna præsupponat aliam, sunt tamen distinctæ ex natura rei, & valde diversæ rationis. Hæc est expressa sententia Scoti loco quarti citato.

31 Species subalterna huius prædicamenti secundum Albertum Magnum in lib. de sex principijs, & ex Angelico Doctore opusculo 48. sunt æquè, vel non æquè poni, flexio, seu reclinatio. Infirma verò statio, sessio, recubatio, &c.

32 Proprietates verò sunt duæ illæ communes alijs prædicamentis, scilicet non habere contrarium, neque suscipere magis, & minus.

Aliam

Aliam etiã enumerat Gilbertus, quam dicit esse maximam, scilicet quod positio semper cõpetit substantiæ alijs formis præsuppositis, & ipsam afficientibus.

SECTIO VI.

De habitu.

33 Gilbertus Porretanus sic definit prædicamentum habitus. *Est corporum, & eorum, quæ circa corpus sunt adiacentia; id est, quodam accidēs resultans in corpore vestito ex adiacentia vestimenti; sicut ubi ex adiacentia loci, & quanto ex adiacentia durationis, &c.* Vnde iuxta hanc definitionem dicendum est, prædicamentum habitus (quod nomen concretum est, & in abstracto dicitur *habitus*) consistere formaliter in relatione contactus extrinsecus adveniente, quam homo vestitus dicit ad vestes. Ita Scotus

5. Metaphysic. capite 19.

34 Vnde habitus distinguetur in viaria genera, & species secundum varietatem generum, & specierum indumentorum, quibus homo potest vestiri. Vnde diversum genus habitus erit armatum esse, ac vestitum esse; & diversa species prioris erunt loricatam esse, galeatum esse, &c.

35 Proprietates habitus sunt illæ duæ communes, scilicet non suscipere magis, & minùs secundum intensiõnem; & non habere contrarium. Gilbertus etiam addit tertiam, videlicet, quod adiacentiam inter plura dicat, quorũ vnum sit actu in alio: nisi enim vestes, aut arma in homine sint, non diceret vestitus, vel armatus; neq; habere illa secundum specialem significationem huius prædicamenti; quamvis secundum aliam significationem dici possit, illa habere, scilicet titulo possessionis.



SEQVI.

SEQVITVR VLTIMA

PARS LIBRI PRAEDICA- MENTORYM.

POSTQVAM in prima parte huius libri egit Arist. de aliquibus, quæ necessariò præmittenda erant ad faciliè prædicamentorum intelligentiam, & in secunda de ipsis prædicamentis, iam in hac tertia agit de quibusdam modis, qui naturam præ-

dicamentorum consequuntur, & de quibus in ipsis prædicamentis mentionem fecerat. Et, quia hi modi sunt quinque, scilicet modi *oppositionis*, modi *prioris*, modi *simul*, modi *motus*, & modi *habendi*, ideò hæc vltima pars quinque continet capita.

CAPVT XI.

DE MODIS, SEV SPECIEBVS oppositionis.

TEXTVS. *De oppositis autem, quot modis solent opponi dicendum est, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN TENTVM Aristot. in hoc cap. est explicare modos, seu species oppositionis. Dividitur in duas partes. In prima dividit oppositionem in communi in quatuor modos, seu species, & unamquamque illarum explicat. In secunda speciales condiciones cõtrariæ oppositionis enumerat.

Deveniendò ad primam partem,

oppositio (inquit Arist.) quadruplex est, scilicet, relativa, contraria, privativa, & contradictoria. Relativè opposita dicuntur illa, quæ id, quod sunt, oppositorum esse, aut aliquo alio modo ad illa dicuntur; vt pater, & filij, &c. Contrariè opponuntur illa, quæ, cum ad invicem non ordinentur, sunt tamen formæ sibi repugnantes; vt calor, & frigus. Privativè opposita sunt

sunt habitus, & privatio, quæ sunt circa idem, id est, forma, quæ apta nata est esse in aliquo subiecto; & carentia illius in eodem subiecto; vt visus, & cæcitas in oculo. Opposita contradictoriæ sunt illa, quæ per affirmationem, & negationem repugnare censentur, vt Petrus sedet, Petrus non sedet.

Sufficiencia huius divisionis inde constat; nam vel oppositio est inter ens, & ens, quæ se mutuo respiciunt? & hæc est relativa. Aut inter ens, & ens, quæ mutuo se expellunt ab eodem subiecto, & continentur sub eodem genere? & hæc est contraria. Aut inter ens, & carentiam illius in subiecto apto? &

hæc est privatio. Aut inter ens & carentiam illius in subiecto non apto? & hæc est contradictoria. Sed nullæ aliæ combinationes fieri possunt: ergo, &c.

In secunda parte ponit aliquas condiciones oppositorum contrariæ. Prima, quod bonum contrariatur malo; malum verò non solum bono, sed etiam alij malo. Secunda est, posse vnum contrarium existere sine alio, vt album sine nigro. Quod non contingit in re lativè oppositis. Tertia est, quod contraria non possunt esse in eodem subiecto. Quarta, quod contraria debent esse sub eodem genere proximo, vel remoto.

CAPUT XII.

DE MODIS PRIORIS.

TEXTVS. *Prius quipiam alio quatuor dicitur modis, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN hoc capite ponit, & explicat Aristot. quinque modos prioris. Primus est, secundum quem aliquis dicitur prius tempore alio, vt qui hodie nascitur dicitur prior illo, qui nascetur cras. Secundo modo illud dicitur prius alio, à quo non valet subsistendi consequentia; qua ratione vnum

dicitur prius duobus; & superior dicitur prius inferiori; quia, etià si benè sequatur; sunt duo? ergo est vnum; & similiter, est homo? ergo est animal; non tamen sequitur è contra. Tertius modus prioris est, secundum quem vnum in aliquo ordine dicitur prius alio; vt in exercitu signifer dicitur prior alijs. Quartus modus est, secundum

dùm quæ digniora dicuntur priora minus dignis: qua ratione Monachus supremus solet appellari prior. Sed hunc modum prioris dicit Arist. esse improprium, quia non fundatur in esse rerum, vel in ordinabilitate naturali illarū, sed solūm in apprehensione hominū. Quintus modus prioris (inquit Arist.) est, secundūm quem om-

nis causa dicitur prior effectu; etiam si sint simul tempore: qua ratione essentia dicitur prior passionibus, quæ ab ipsa fluunt. Ex his autem modis prioris, primus dicitur prioritas durationis; secundus, & quintus prioritates naturæ. Ex his facillè quis poterit colligere cum proportione quot, & quales sint modi posterioris.

CAPVT XIII.

DE MODIS SIMVL.

TEXTVS. *Simul autem ea simpliciter, propriissimeque dicuntur,*
 &c.

RECOPILATIO TEXTVS.

IN hoc capite tradit, & explicat Arist. res modos simultatis. Primus est, secundūm quæ aliqua dicuntur simul tempore; vt quando aliqua in eodem tempore prodeunt in rerum natura. Secundus est, secundūm quem aliqua dicuntur simul natura, quia non solūm dicuntur ad convertētiā, sed etiam vnum non est causa alterius: qua ratione capite de relatione diximus, esse simul na-

tura, esse proprietatem relativorum. Tertius modus est, secundūm quem aliqua dicuntur etiam simul natura, quia sunt membra diuidentia eiusdem generis. Vnde hæc non simpliciter dicuntur simul natura, sed cum addito, *in participatione generis*: homo enim & equus, licet in participatione animalis vnus nō sit prior alio, poterit tamen optimè secundūm suas naturas vnus esse prior alio.

CAPVT XIII:

DE MODIS, SEU SPECIE-
bus motus.

TEXTVS. *Motus species sunt sex, generatio, corruptio, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN hoc capite sex mo-
dos, seu species *motus*
enumerat Arist. sum-
pro motu vniuersalif-
simè pro omni physica mutatione
siue instãtanea, siue successiva sit.
Primus est generatio, per quam
producitur substantia. Secundus
corruptio, per quam desinit esse
substantia, vt mors. Tertius est
accretio, seu augmentatio, per
quam res acquirit maiorem quan-
tatem. Quartus est decretio, seu
diminutio, per quam res deperdit
aliquam partem quãtãtatis. Quin-
tus est alteratio, per quam res ac-
quirit novam qualitatem; vel de-
perdit, quam habebat; aut inten-

ditur, seu remittitur qualitas. Sex-
tus est motus localis, qui est, per
quem acquiritur *vbi*. Docet præ-
tereã Arist. motum in communi
habere vnum contrarium, scilicet
quietem; & motum in particulari
duo; vnam, inquantùm motus, &
aliu inquantùm talis motus; ver-
bi gratia, generatio, quæ est mo-
tus ad substantiam, habet pro con-
trario, inquantùm est motus in
communi, quietem; & inquantùm
est motus ad substantiam, quie-
tem in substantia. Et sic de reli-
quis. Sumit autem hîc contra-
rietatem latè, pro oppo-
sitione priva-
tiva.

CAPVT

CAPVT XV.

DE MODIS HABERE.

TEXTVS. *Habere pluribus modis, &c.*

RECOPILATIO TEXTVS.

IN hoc capite tradit Arist. septem modos, secundum quos aliquid habere dicimur. Primus est, secundum quem dicimur habere qualitates, vt scientias, virtutes, &c. Secundus est, secundum quem dicimur habere quantitatem; qua ratione corpus dicitur habere quantitatem bicubitam, vel tricubitam. Tertius modus est habendi non ea, quæ inhaerent corpori, sed ea, quæ circumstant, vt habere vestes. Quartus est modus habendi aliquid, non in toto corpore, sed in aliqua parte, ratione cuius totum corpus dicitur illud habere, vt habere nasciturvitatem,

habere pilum, &c. Quintus modus est habendi partem; vt habere caput, manus, &c. Sextus modus est habendi aliquid, vt quid contentum, vt amphora aquam. Septimus modus est habendi aliquid per possessionem; qua ratione homo dicitur habere domum, pecuniam, &c. Plures alios modos habendi enumerat Arist. 5. Metaph. cap. 23. tex. 28. quos hic non enumerat; hi enim solum sunt in vsu, & quia pro Dialecticorum captu dicit hos sufficere. Et nos etiam dicimus, sufficere circa priorem Dialecticæ partem hæc annotatione.

FINIS.

COMPLVTI.

Ex Officina Ioannis de Orduña,

Anno M. DC. XXIX.



